AUTHOR:

WICHMANN, OSKAR

TITLE:

DE QUI ABLATIVO ANTIQUO

PLACE:

VRATISLAVIAE

DATE:

[1875]

Master Negative #

93-81316-1

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

Wichmann, Oscar, 1851-

De qui ablativo antiquo, dissertatio ... quam scripsit et ... publice defendet Oscarus Wichmannus ... Vratislaviae, typis Grassi, [1875]

45 p.

Thesis. Breslau.

Volume of theses.

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35mm REDUCTION RATIO: 11x

IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB

DATE FILMED: 4-22-93 INITIALS my

FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT

AIIM

Association for Information and Image Management

1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910

301/587-8202

Centimeter

1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 mm

1 2 3 4 5

Inches

1.0 1.1 1.25 1.4 1.6 1.8 2.0 2.2 2.5 2.8 3.2 3.6 4.0 4.5 5.0 5.6 6.3 7.1 8.0

n° 1

DE QUI ABLATIVO ANTIQUO.

DISSERTATIO
INAUGURALIS PHILOLOGICA

QUAM SCRIPSIT ET

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS
CONSENSU ET AUCTORITATE

IN

UNIVERSITATE VIADRINA VRATISLAVIENSI

AD SUMMOS

IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE CAPESSENDOS

DIE XIX. MENSIS MARTII A. MDCCCLXXV HORA XI
IN AULA MINORE

PUBLICE DEFENDET

OSCARUS WICHMANNUS,
MARCHICUS.

ADVERSARII ERUNT:

AUGUST KUEHN, STUD. PHIL.
PAUL REGELL, STUD. PHIL.
WILLIBALD KOERBER, STUD. PHIL.

VRATISLAVIAE.
TYPIS GRASSI, BARTHII ET SOC. (W. FRIEDRICH.)

6

VIRO ILLUSTRI BENEVOLO

GUSTAVO KIESSLINGIO

DOCT. PHILOS.

D. P. S.

Quamquam studiosissime adhuc philologi in constituendo priscorum scriptorum latinorum grammaticae et metricae artis usu eiusque rationibus elaborarunt, multas tamen illius generis quaestiones haud ita facile posse absolvi, qui Plauti et Terentii comoediis recensendis operam navarunt, ad unum omnes consentiunt. Paullatim modo latinae linguae ingenium persentiscimus, libero iudicio, facili sensu poetarum illorum opera pertractantes, quales fuerint structurae numeri, quae severitas, quae licentia, cognoscimus. Subveniunt nobis imprimis inscriptiones antiquae, quippe quae multo accuratius quam libri manuscripti et posterioris sermonis vi et grammaticorum studiis mutati vetustiorem illam linguae condicionem conservaverint. Namque Plauti et Terentii fabulae, ut Livii, Naevii, Ennii, Attii, aliorum reliquias paucissimas omittam, quamquam grammatici et commentatores nonnulla de priorum temporum sermone vere pretiosa tradiderunt, tamen adeo depravatae exstant, ut multis gravibusque in rebus sub iudice lis permanserit. Sed altera iam verum videndi ansa nobis praesto est, indogermanicarum linguarum scientia comparativa. Quam a Boppio et Pottio doctis viris constitutam cum agnoscimus, latina lingua non sibi ipsi restat ab aliis aliter natis seiuncta, sed quia Graecos, Italicos, Germanos, Slavos, Persas, Indos multis ante hominum memoriam saeculis eadem lingua, eisdem moribus usos esse constat, unaquaeque earum membrum est familiae, cuius lingua ad certum quendam terminum a parentibus est accepta. Atque quamvis propriam linguae singulae viam ingressae sint, cum fundamenta communia uno ictu negari non

potuerint, in quaestionibus grammaticis et etymologicis cum benignitate saepe cognatas linguas adhibere licet. Huc pertinent etiam, quae Mommsen, Aufrecht, Kirchhoff, alii curis in italicis dialectis collocatis edocuerunt. Tertio autem loco ponenda sunt Graecorum metricae artis studia. Romanos enim ut argumenta fabularum, ita versuum ordinandorum artem a Graecis mutuatos esse quis est qui nescit? Neque tamen hoc consensu prohibitum est, quin controversia inter doctos viros gravis exardesceret, cum hi duce Ritschelio sexti et septimi saeculorum poetas romanos eodem, quo Graecos, hiatus fastidio, eadem constricta licentia versus suos pepigisse contenderent, illi Spengelio, Brixio, Bergkio aliis auctoribus cum moderatione ut codicum auctoritate ita probabili ratione certe circumscripta amplius licentiae fines producerent.

Haec brevissime praemisimus, postea, si opus erit, fusius explicaturi, ut, cum de *qui* ablativo, usum a Plauto et Terentio petitum secuti, disserere proposuerimus, quibus adiumentis uti nobis liceat, ab initio statim sciamus.

Veteres grammatici docent alii particulam *qui* ablativum antiquum pro *quo* esse, alii eam *unde* valere neque tamen firmam definitionem ex usu collegerunt. Nostrae aetatis viri docti *qui* ablativum pronominum interrogativi et indefiniti et relativi esse, quem etiam in adverbium declinasse, probant adversario Buechelero, qui in adumbr. decl. lat. p. 63 locativum e dativo leviter immutatum putat.

Equidem ego, ut ad rem ipsam propius accedam, primum, numquid certi e declinandi ratione pronominum illorum ad *qui* definiendum repeti possit, investigabo, tum, quidquid inveni, cum usu vocabuli comparabo.

Studiis linguarum scientiae comparativae constat et relativum pronomen et indefinitum in linguis indogermanicis ex interrogativo profecta esse. Quod formandi genus num ad rationem parem vel similem, quae inter tres illas notiones intercedat, referendum sit (Pott. etym. Forsch. 2. Aufl. 1859. I, p. 361.), hoc loco non discutiam, formas tamen illarum notionum remota quadam aetate unas fuisse justa confidentia acceperim. Relativi pronominis *quis* exempla complura affert Schoellius (lex XII tab. p. 75. Fest. p. 166, 173, 246. Cato d. r. r. c. 145, 148.

Gellius XVI, 10, 5. Tab. Bant. v. 19. 8. Tab. Iguv. VI 6, 53. Momms. U. I. D. p. 290.) atque duo modo pronominis interrogativi genera primaria fuisse videntur (quis, quid, *τις*, *τι*) cum legamus:

Truc. I 1, 76. Sed haec quis mulier?
Mil. II 5, 26. Quis igitur vocare? *Δικαίᾳ* nomen est.
Epid. IV 1, 8. Quis illaec est mulier?
Epid. IV 2, 4. Quis istaec est, quam tu osculum mihi ferre iubes?
Mil. IV 1, 22. Quis ea est?
Mil. III 3, 51. Qui noverit me, quis (fem.) ego sum?
Aul. II 1, 50. Dic mihi, quaeso, quis ea est, quam vis . . . .
Epid. V 2, 36. Sed quis ea est mulier? Tui gnati amica.
Stich. I 1, 83. Quis haec est, quae advorsum it mihi?
Epid. V 1, 14. Sed quis haec est muliercula?
Poen. pr. 17. Scortum exoletum ne quis in proscaenio Sedeat. (Acidalius „scort. exol.“ genetivum voluit. Ne nominativus quidem mihi alienus videtur.)
Cist. I 1, 67. Quod neque habeo neque quisquam alia mulier, ut perhibent viri.
Rud. II 3, 75. Neque digniorem censeo vidisse anum me quemquam.
Cist. II 3, 66. Tu tua oratione, mulier, quisquis es.
Poen. pr. 107. Ubi quamque in urbem est ingressus, illico, Omnes meretrices, ubi quisque habitant, invenit.
Pseud. I 2, 53. Ut nomine quemque (fem.) appellem suo.
Truc. II 1, 40. Qui ubi quemque nostrarum videt *(quemque* posuerim, libri *quamque).*
Pers. IV 4, 71. Quid nomen tibi est?
Trin. IV 2, 61. Quid est ei nomen?
Trin. IV 2, 94. Quid tibi nomen est, adulescens?
Merc. III 2, 33. Responde, adulescens, quaeso, quid nomen est tibi?
Men. V 9, 71. Quid erat nomen nostrae matri?
Capt. V 3, 6. Quid erat ei nomen, si vera dicis, memoradum mihi.

Men. V 2, 6. Quidquid tibi nomen est senex.
Men. II 2, 62. Rogatis, quoiatis sit, quid ei nomen siet.
Haut. IV 1, 49. Nomen mulieri cedo quid sit, ut quaeratur.
Phor. V 9, 50. Tu tuum nomen dic, quid sit.

Fuit, ut suspicamur, tempus, cum e pronomine interrogativo *quis, quid,* relativum *qui, quae, quod,* exortum est, unde nescio an femininum *quae* interrogativo condonatum sit. Tum autem in usu excolendo et persona et libertas quaedam aut indiligentia sententias conectendi tantum valuit, ut ne Plauti et Terentii aetate quidem constans ratio plane dominaretur. Ac videamus iam, qualis declinandi ratio fuerit, quam ut persequamur, quae plerisque eaque pro meo iudicio recte visa sunt, breviter perorabo.

Quis, quid themate *quo* et i demonstrativo (gr. *οὑτοσί τουτονί*) adiunctis s, d, litteris nominativi signis composita sunt. Eodem fonte nata sunt: *quoius, quoiei,* tum, abiecto i demonstrativo: *quorum, quei* (nom. pl.) *quos, quom, quo, quis* (dat. abl. pl.). Hae formae secundam, quam nos dicimus, declinationem sequuntur, illae tertiam. Namque etsi de *quoius* in diversas partes suffragia lata sunt, tamen Corsseni amplector auctoritatem, qui i litteram genetivi et dativi demonstrativam, *us* et *ei* suffixa tertiae declinationis vel radicum in i litteram vocalem desinentium esse confirmat. *Us* enim idem est, quod *is,* ut legimus *nominus latini* (SC. d. Bacch. 8), *Venerus, Cererus,* aut *os* ut *senatuos* alia (Corss. Voc. II. contra L. Meunier. mém. de la soc. d. ling. I, 1. Crit. Nachtr. p. 89, 91, 94. Crit. Beitr. 529, 543—45). Praeter *quom* autem, quod mox et coniunctionis temporalis et praepositionis instrumentalis locum obtinuit, *quem* forma constituta est, quae cum *ques, quibus* formis pari in gradu collocari potest. Namque sive iuxta *quo* aliud thema variatum *qui* (sk.: Kl.) adiuncto s ponimus, sive nominativi (quo-i-s) littera o syllabae *is* acuto accentu evanuit, omni modo adducimur, ut e themate in i vocalem desinente *quem, ques, quibus* profecta putemus (*ques* in SC. d. B. nominativus pluralis *quis* pronominis indef. est, *quei* nominativus *quei* pronominis. Pacuvius etiam interrogativum *ques* habet et dicit *nescio ques.* Cato scripsit *quescumque Romae regnavissent* et *si ques populi*). *Quium* formam ex Charisio

(p. 162, 2 cuium) proferre voluerunt, cui non repugnant, quae Servius ad Aen. I, 95 adnotat: *quibus* modo formam usitatam fuisse, licet antiqui omnibus usi essent casibus, Cato in Orig. ait *si ques populi* et declinavit *ques, quium* ut *puppes, puppium.* Alii *quoium* genetivum antiquum e codicum auctoritate sibi finxerunt, nullo iure, ut nunc iam firme demonstratum est. Namque quae legimus in lege agr. (8, 16): *deque eo agro, loco, aedificio eum, quoium is ager etc.* et (10) *neve quis ferto, quo quis eorum, quoium eum agrum esse oportet, eum agrum habeat* — ita explicanda sunt, *quoium* esse neutrum *quoius* pronominis adiectivi, quod in Plauti et Terentii comoediis pluries invenimus (Cist. III, 2. Bacch. IV, 9. 27. Rud. III, 4, 40. Merc. IV, 3, 21. Curc. II, 1, 14. Epid. II, 1, 111), et quod a Bergkio in Poen. v. III, 1, 31 jure restitutum est (de quoio vivere, edere). Et interrogativum et relativum fuit (Prisc. XII, 29; XVII, 143) et cum genetivo *quoius* aequo ordine usurpatum est. cf. Cato d. r. r. c. 139: *Si deus es, si dea es, quoium illud sacrum est.* Lex agr. 9: *neive quis facito, quo quoius eum agrum esse oportet, eum agrum habeat.* Lex d. Term. C. I. L. I, 198. 204. Lex rep. 5: *quoius nomen delatum erit aut quoium nomen ex reis exemptum erit, sei quis eius nomen etc.* Quod autem *quoium* cum singulari et plurali numero componitur, nihil est quod miremur, quia neutrum est absolutum ut meum, tuum, suum (est), et ea, quae habet quis, ut totum quoddam *suum* esse dicere potest. Si quis tamen illam sententiam agnoscere non vult, *eum* pro *eorum* dictum fuisse accipiat. Apud Festi enim epitomatorem p. 77 legimus: *eum antiqui dicebant pro eorum,* et in lege municip. 52 (C. I. L. I. p. 206) exstant haec: *Eum h(ace) l(ege) n(ihilum) r(ogato),* ubi *eum* aut *eorum* explicandum est aut emendandum *eius.* Nos non possumus quin genetivum *quoium* repudiemus.

Restat ut *quoi* formam explicemus, quam genetivo vindicare frustra adhuc tentatum est. Dativo autem et *quoiei* et *quoi* propria fuerunt atque eisdem fere temporibus in inscriptionibus occurrunt (quoiei. tit. Scip. 34 (a. 600), lex rep. (a. 6 31 32), lex agr. (a. 643), in quibus legibus quoque ut in aliis reipublicae inscriptionibus *quoi.* In lege agr. semper *quoieique,* in lege Iulia *quoique*). Apud scaenicos poetas sexti

saeculi *quoi* solum fere in usu fuit, opponente Ritschelio (Prolegg. Trin. 171), qui pluribus locis, *quoi* Plautinum unam modo syllabam explere ratus *quoii* formam recepit (Op. phil. II p. 421). Habemus igitur *quoiei*, *quoii*, *quoi* et gradatim litterae vocales cumulatae, cum uniuscuiusque vis servari non potuisset, coaluisse videntur. Namque cum i littera media ante alterum i finale, vocali natura sensim amissa in cotidiano sermone gutturalis litterae modo pronunciata evanuisset, *quoi* dativus exortus est. Itaque prout littera illa ad spiritum paene redacta plus minusve sentiebatur, *quoi* modo duas syllabas modo unam explere potuit, praesertim cum verba qualia: *rei*, *ei*, *huius*, *huic*, *eius*, *iam* duplicem mensuram sequerentur (cf. Capt. IV, 2, 29; I, 1, 38; III, 4, 24; IV, 2, 27. Men. V, 12, 14. Mil. II, 1, 25. Cas. II, 6, 18. Amph. IV, 3, 18. Curc. V, 2, 5; IV, 3, 12. Rud. pr. 2; 25. Trin. pr. 3). Ex manuscriptis Plauti et Terentii *quoii* restitui non potest atque fortasse dubium sit, num, ubi *quoi* bisyllabum metro postulatur, *quoii* scribendum sit. Quamquam et *quoii* et *quoi* e *quoiei* fluxisse videntur vel dativo fingendo radici *quo* (addito i dem. ut supra) tertiae declinationis dativi suffixum ei (i) adiunctum est. Buechelerus tamen *quoi* locativum probat ut *illi*, *isti*, *alii*, *neutri*, *uni*, ex quibus et *illi* et *isti* pro locativo ponuntur (Trin. II, 4, 154; Mil. IV, 3, 7), pro ceteris tamen locative *aliubi*, *neutrobi*, *utrobi* formata sunt. Ita dativum *(quoiei)* a locativo *quoi* propria voce seiunctum esse censet, septimo autem saeculo, quo iam locativus in *quei* (qui) mutatus fuisset, abiecto *quoiei*, *quoi* in dativi loco collocatum esse. Quae contra nos ita persuasum habemus, quamvis *quoi* locativum esse posse concedamus, nos non prohiberi, quin *qui* formam, de qua quaerimus, alio modo faciliore et probabiliore explicemus. Ablativus enim casus pro nominum singularis observandus nobis relictus est. Cui etiam antiquis temporibus *quo* formam vindicandam esse constat ex inscriptionibus. Quis autem miretur, cum *qui* et *ques*, *quom* et *quem*, *quis* et *quibus*, forsitan *quorum* et *quium* declinata esse videat, si in ablativo quoque duplex formandi ratio adhibita est, unde *quō* e *quŏ* themate ut *servō* e *servŏ*, *quī* e *quĭ* themate ut *puppi* e *puppi* profecta sunt. Quid? si juxta *quo* alia forma etiam desiderata est! Nam cum pronomina interrogativum et

indefinitum substantive et adiective posita sint, num extra rationem est, si data facultate et substantivus ablativus *qui* ab adjectivo *quo* seiunctus est? Huic tamen sententiae ex usu documento iam opus est. Nunc quidem satis habemus, si *qui* ablativum ad normam aliarum formarum constitui potuisse probaverimus. Procul dubio autem haec sententia esset, si alia quaestio nobis faveret.

Constat enim pristini sermonis italici ablativo d suffixum adhaesisse, ad *at* sanscriticum revocandum, quod a Graecis quoque in adverbiis, quae in *ως* finiunt, servatum est (Bopp. Vergl. Gram. I, 344. Schleich. Comp. II, 466). T littera primaria in nulla inscriptione latina invenitur (contra *εσοτ πωτ*. Momms. U. I. D. p. 265, 290), d autem multis exemplis, quae praebent tituli Scipionum, edictum de Bacchanalibus, columna rostrata, quae veteres formas imitatur, confirmatur et omnibus italicae linguae gentibus commune fuit. Propter tamen vocis tenuitatem haec finalis littera mox interiit. Umbri et Sabelli primi hanc viam ingressi videntur (Kuhn, Z. f. v. Spr. W. X, 1, 21 sq. Corssen Voc. I, 196), insequentibus Latinis, cum Osci, quantum ex inscriptionibus apparet, vetustam vocem nunquam amitterent. Atque latinis quidem exemplis collectis et comparatis hoc pro certo positum est, d finale ablativi inde a medio V saeculo evanescere coepisse et usque ad Syriaci belli tempora nonnunquam servatum Gracchorum aetate prorsus abiectum esse. Formarum *quōd* aut *quīd* nullum exemplum exstat, cum quodcirca (C. J. L. I, 198, 13) minime cum Buechelero (p. 48) ablativum sed ad analogiam *idcirco* vocabuli accusativum putem. Quid iam poetae, qui temporibus illis scripserunt? Naevii et Livii fragmenta excepto *Troiad* (B. P. 8. Vahlen) nihil dant, de Ennii *quodcum* (Ann. 239) iuxta *quocum* subinde sequens dubito (Gell. XII, 4, 3), atque ex Plauti et Terentii comoediis nisi *med* et *ted* accusativi et ablativi nulla exempla indubitata fide codicibus statui adhuc potuerunt. Grammatici eadem produnt neque quid d significaret, recte perspexerunt (Prisc. I, 45. Macrob. Sat. I, 9, 8; IV, 9, 6. Gell. XVI, 6, 3. Quint. I, 7, 11). Quare facile credamus in libris manuscriptis Plautinis d sparsis modo et paucis verbis servatum fuisse, et tantum abest, ut liberum illum usum Plautinum,

quem Ritschelius postulat, probemus, ut hiatui latiores fines concedere malimus. Namque hiatus est, quo viri eruditi, ut multis locis d adderent, adducti sunt, neque prius res diiudicata erit, quam quibus finibus hiatus licentia a veteribus poetis occupata sit, certis exemplis statuerint. Concedimus optimo iure pluries d antiquum restituendum esse, eodem tamen jure a Spengelio, aliis stamus, qui, cum non solum auctoritatem librorum sed etiam certissima doctissimorum Romanorum iudicia aliasque res gravissimas respexissent, moderationem quandam d restituendi et transponendi, hiandi maiorem licentiam amplexi sunt. Quantum potui diligentissime quaesivi, num ab hiatus parte mihi fas esset *quid* restituto opinioni meae firmissimum fundamentum supponere, neque tamen *quid* formae codicibus servata ablativo adscribere ausus sum neque exempla codicibus servata ablativo adscribere ausus sum neque ex *qui* sequente vocabulo cum vocali incipiente concludendum putavi d primarium paullatim deletum esse. Tuendus est hiatus in versibus:

Men. V 2, 36. Qui ego istuc, mi pater, cavere possum?
Merc. III 3, 41. Qui ego istuc credam tibi?
Merc. V 2, 62. Sed qui ego istuc credam?
Stich. I 2, 34. Sat est osculi mihi vostri. Qui, amabo, pater?
Bacch. I 1, 19. Qui, amabo? Quia, Bacchis, Bacchas metuo . .

et quae sunt alia permulta (cf. Spengel: Plautus p. 175 sq. Bentley de metr. Ter. § 8. Fleckeis in Jahnii ann. 1850 p. 49. cf. cúm illis, quám ille, né ipse, dé istoc, nám illud, quó ego, quó eat. Cas. V 1, 14. Men. I 2, 7; 4, 3. Amph. IV 2, 14. Merc. pr. 20. Pseud. IV 6, 40. Rud. III 4, 57. Pers. II 2, 33; 5, 3; II 2, 39 etc.).

Quamquam Ritschelius antiquam illam formam nanctus esse sibi videtur, cum ad versum:

Pseud. I 1, 136. Numquid alium me etiam voltis dicere?

quaerat, quomodo per grammaticam defendi possit, quod *numquid* et *alium* componantur; nonne aut *numquid aliud* aut *numquem* alium veram lectionem esse aut *numquīd* ablativum antiquum? Sed alium *me* a Grutero positum est pro illo, quod utriusque recensionis libri (ABCD) praebent: *numquid alium* sine *me* (BC nuncquid, D nũque, FZ nũqua). Quod si non cum Bergkio (Ausl. D im. Altlat. Pron.) a librario nonnullis litteris neglectis

alium ex *aliu(d) m(i)* depravatum probamus, ne *numquid alium me* quidem a grammatica dissentit. Quis enim neget, *num, numquid, ecquid* saepissime idem valere et permutari atque *quid* abundanter *num, si, nisi, ne* particulis et verbis intransitivis interdum apponi? Conferas semperque accusativum probes:

Amph. II 2, 222. Numquid causam dicis, quin te hoc multem matrimonio?
Bacch. V 1, 24. Numquidnam ad filium haec aegritudo attinet?
Asin. V 1, 3. Numquid tibi molestum est, mi gnata, si haec mecum accubat?
Bacch. II 2, 28. Ecquidnam meminit Mnesilochi?
Pers. I 3, 28. Sed ecquid meministi, here,
Qua de re ego tecum mentionem feceram?
Adel. II 4, 39. Numquid vis, quin abeam?
Adel. IV 6, 55. Numquid circumspexti aut numquid prospexti tibi?
Phor. V 4, 4. Ecquid locutus cum ista es, quam ob rem hanc ducimus?
Hec. II 2, 25. Numquid accusat virum?
Mil. III 3, 28. Sed dic mihi, ecquid hic te
Oneravit praeceptis?
Amph. I 1, 191. Numquid nunc es certior?
Most. IV 2, 4. Numquam edepol ego me scio
Vidisse unquam abiectas aedes nisi modo hasce. Ecquid placent?
Truc. II 6, 24. Ecquid mei similis est?
Truc. II 6, 61. Ecquid amas me?
Bacch. III 4, 27. Neuquid ei succenseat. cf. III 6, 4; IV 4, 39.
Cas. pr. 38. Ne quid mentiar.
Pers. IV 4, 70. Ne quid mirer malum meum.
Bacch. V 2, 54. Non metuo ne quid mihi doleat, quod ferias.
Asin. IV 1, 40. Post si lucerna exstincta sit, ne quid sui
Membri commoveat quidquam in tenebris.
Haut. II 2, 20. Ne quid titubet.
Haut. II 2, 111. Ne quid accusandus sit.
Haut. II 2, 128. Ne quid imprudens ruas.
Epid. V 1, 51. Si quid saevibunt senes.

Men. I 2, 33. Si quid titubatum est.

Attius ap. Macr. d. diff. 6, 14. (Ribb. tr. rell. p. 125.) — ⏑ nisi quid tua facultas nobis tulat opem ⏑ —.

Epid. II 2, 96. Nisi quid tua secus sententia est (gr. εἴ τι μή: Soph. Elect. 31. Oed. R. 969 etc.).

cf. Horat. sat. 2, 1, 78. nisi quid tu, docte Trebati, Dissentis.

Cic. ep. ad fam. 2, 15, 7. nisi quid me Etesiae morabuntur, ut spero, vos videbo. Cic. ad fam. 4, 1, 10. Trebatioque mandavi, si quid tu eum velles ad me mittere, ne recusaret. Ennius ap. Cic. Cat. mai. 1.

Si quid ego adiuero.

Quae cum ita sint, *numquid alium me* facile quis potest defendere, attamen hoc loco improbo. Nam ut rectam lectionem inveniamus, respiciendum maxime puto, quaenam praecedant. Longa adest series ignominiosorum nominum, quorum copia acerrime et celerrime exhausta atque effusa, is, cui indita sunt, apprime respondet:

Númquid áliud étiam vóltis dícere?

(h. e. Habt ihr noch weiter etwas zu sagen?) Etenim si alterum *alium me* probas, offensioni est *dicere* verbum, cui aptius substituendum fuit *appellare* vel *nominare*, ita ut librarium nominibus quasi propriis praecedentibus ductum esse appareat, ut pro *aliud alium* (sc. hominem nefarium) corrigeret. Idem de hoc loco iudicavit F. W. Muellerus (Nachtr. z. Plaut. Pros. p. 31) et admonuit non solum nomina propria antecedere, sed etiam verba *verberavisti patrem atque matrem*, quae *aliud* excipere aptissime potuit.

Item accusativum intellego in v. Bacch. V 2, 38.

Nihili sum. Istuc iam pridem scio. Sed quid nihili sis, memora. (R. *qui.*)

In v. Poen. V 2, 96. Ritschelius ex Acodice scribere vult:

Quid vis? quī d potuit fieri, ut Carthagini gnatus sis?

ubi *quid* alterum in errorem, *quid* praecedente, refero, neque certi quidquam statui potest ex Stich. IV 2, 17: (A auctore)

Quid, malum, tibi lasso lubet

Foris cenare?

Trin. vers. II 4, 63 sic scribendus est:

Hercle qui dicam tamen (Fleckeis. Misc. crit. p. 30. A *quin* ceteri *quid* F *quidem).*

In universum cum perscrutamur varias codicum lectiones, nullum est quin inveniamus vitium, non solum interpolationes et correctionnes critica arte falso adhibita factas, sed etiam inscitiam et levitatem. *Qui, quin, quid, quo, cui, quem* saepissime inter se permista sunt. Quis ergo omni modo codicum auctoritate nitatur, ut d antiquum *qui* formae restituat? Semper, opinor, alter aut accusativum aut correctionem aut aliud aliquid suo iure probábit (cf. F. W. Muellerus. N. z. Plaut. Pros. p. 33). Neque tamen aliud obliviscamur, quod Bergkius (l. c. p. 33) *quid* antiquum in *quidem* particula vult deprehendere. Qui cum aliud quam nos de suffixo d ablativi ratus, d residuum esse censeret *de* syllabae suffixae (gr. θε et θεν), quae fortasse in Naevii *Troiad* (*Τροίηθεν*) appareret, m additum phoneticum duxit ut ν in θεν et φιν suffixis. Atque hoc eo magis tenendum dicit, quia *quidem* cum metri legibus non bene stare videatur, unam enim modo brevem syllabam expleri, quod intellegi non posse, nisi *quidem* in vetere sermone cotidiano a *quid* nihil fere afuerit (cf. Spengel Plaut. p. 75). Consentimus *quidem* unius syllabae numeros habuisse, idcirco autem hoc putamus, quod ambae syllabae adeo leves fuerunt, ut metrica arte pro una brevi acciperentur. Offendimur et eo, quod Bergkius de suffixo censet, et m phonetica littera, ita ut *quidem* in *qui* et *dem* dissolvere praeferamus. *Qui* est illud *qui,* de quo agimus, sensu indefinitivio, *dem* accusativus ex *dium* variatus, quo, ut *dum* vocabulo, suffixo temporalis restrictio significatur.

Relicta igitur de *quī d* statuendo quaestione iam videamus, qualis usus *qui* vocabuli sit, num cum eis, quae praemisimus, sine ulla dubitatione congruat. Ac primum quidem inquiremus in interrogativum. Legimus:

Bacch. II 3, 101. Sed qui praesente id aurum Theotimo datum est?
Populo praesente; nullu'st Ephesi, quin sciat.

Curc. V 3, 33. Qui praesente, quo in loco?

Asin. II 3, 17. Argenti viginti minas, si adesset, accepisset.
Qui pro istuc? Asinos vendidit.

His in exemplis, cum *qui* codices tueantur, corrigendi nulla causa data est. In primo versu *qui praesente* accuratissime *populo praesente* sequenti enuntiato respondet, et *qui* habet vim ablativi pronominis interrogativi substantivi masculini generis. Idem est in secundo. In tertio *qui* neutrum est substantivum e *pro* praepositione pendens, de qua postposita nihil offensionis est. *Nobiscum, vobiscum* etc. omnibus temporibus usitata fuerunt, ut semper *quatenus, quapropter, quoad, desub, insuper* (cf. quam per Poen. pr. 13 quo ex Asin. IV 1, 20. qua ex Epid. II 1, 5. quo ab Asin. I 1, 106. quo in Curc. IV 1, 6. atque ex umbrica lingua: asa—ku (cum ara) destru—co (cum dextro) poplu - per (pro populo) nomne—per (pro nomine) Corss. Voc. II p. 385).

Locis illis adiungi possunt:

Haut. I 2, 4. Quicum loquitur filius?
Epid. III 2, 36. Quicum? Epidice (antecedit: *cum ea*).
Eun. IV 4, 31. Quicum? Cum Parmenone.
Cas. II 5, 9. Quicum litigas? Olympio.
Cum eadem, qua tu semper.
Merc. V 2, 64. Quid tua refert, quicum istaec venerit?
Men. II 3, 23. Quicum haec mulier loquitur?
Mil. II 5, 14. Quicum tu fabulare? || Quicum, nisi tecum?
Most. II 2, 84. Quicum istaec loquere?

Melius disseremus et iudicabimus, si instituto nostro relicto etiam indefiniti et relativi pronominum exempla addiderimus.

Asin. I 3, 23. Ubi lena bene agat cum quiquam amante, quae frugi esse volt.
Asin. I 3, 77. Dic, quid me aequom censes pro illa tibi dare, Annum hunc ne cum quiquam alio sit?
Asin. IV 1, 9. Neque cum quiquam alio quidem.
Cist. I 1, 84. Stulte ecastor fecit. Sed tu en unquam cum quiquam viro
Consuevisti?
Pers. IV 3, 8. Ut ego multis credidi
Nec satis a quiquam homine accepi.
Stich. IV, 2, 46. Quicumvis depugno facilius quam cum fame.
Cist. I 1, 78. Quia ego illum unum mi exoptavi, quicum aetatem degerem.

Hec. III 8, 40. Nam si posset ab ea sese derepente avellere,
Quicum tot consuesset annos.
Amph. pr. 99. Amphitruo, natus Argis ex Argo patre
Quicum Alcumena est nupta, Electri filia.
Amph. pr. 114. Dum ille, quicum volt, voluptatem capit.
Amph. I 1, 211. Amphitruo, qui nunc profectu'st Thebanis legionibus,
Quicum Alcumena nupta est.
Bacch. IV 4, 6. Quicum ego bibo et edo et quicum amo.
Epid. II 2, 59. Ibi illarum altera
Dixit illi, quicum ipsa ibat.
Cas. III 5, 52. Per omnes deos et deas deiuravit
Occisurum eum hac nocte, quicum cubaret.
Eun. IV 6, 21. Quicum res tibi est, peregrinus est.
Eun. I 2, 39. Et cum illa, quicum tum uno rem habebam, hospite
Abii huc.
Phor. IV 6, 32. Offendi adveniens
Quicum volebam atque ut volebam conciliatam amore.
Trin. IV 2, 111. Qui quidem non novisse possim, quicum aetatem exegerim?
Capt. III 5, 61. Ut melius consulam tibi
Quam illi, quicum uno puero aetatem exegeram?
Trin. pr. 15. Dedi ei meam gnatam, quicum aetatem exigat.
Poen. III 6, 3. Quicum litigas,
Abcessit.
Rud. V 3, 24. Cedo quicum habeam iudicem.
Stich. IV 1, 41. Tibi meam filiam bene, quicum cubitares, dedi.
Stich. IV 1, 42. Nunc mihi reddi aequom esse abste, quicum cubitem, censeo.
Capt. V 4, 6. Nam ubi illo adveni, quasi patriciis pueris aut monedulae
Aut anates aut coturnices dantur, quicum lusitent.
(cf. Neue Formenl. d. lat. Spr. 168. Terent. Andr. III 2, 31.)

Adel. III 5, 31. Ille bonus vir nobis psaltriam, si dis placet,
Paravit, quicum, vivat, illam deserat.

Adel. IV 8, 32. Facturum credo, ut habeas quicum cantites.
cf. Aen. XI 822.
Tum sic exspirans Accam ex aequalibus unam
Aloquitur, fida ante alias quae sola Camillae,
Quicum partiri curas.

Cic. pr. Quinct. 6. quicum tibi societas, affinitas fuit.

Quibus allatis, cum inter masculinum genus et femininum nullum discrimen ponatur, *qui* aut neutrius generis velut adverbium esse aut etiam relativa forma *qui* ut masculina ita feminina aeque in usu fuisse videtur. Neutrum tamen *qui*, cum aliis de causis minus probabile, tum illi *qui*, quod est in *quiquam (quivis) homine* repugnat, masculinum autem *qui* et femininum interrogativo et indefinito pronominibus sane convenit. Quid iam? An etiam relativo *qui* ablativum pro masc. et fem. parem debemus adscribere? Atque nullum possumus reperire exemplum, ubi *qui* relativum cum alia praepositione coniungitur, neque *qui* relativum excepto ablativo adverbiali, qui *unde* valet, certum constitui postea videbimus; itaque sic censemus *quicum* interrogativum substantivum, — nam etiam in *quiquam, quivis qui* substantivum est (cf. nemo quisquam Cas. V 4, 36) — praesertim cum relativo ad personas revocando proprius status ut nomini non adiectivo concedi potuisset, in relativa enuntiata nullo generis discrimine transiisse.

Haec transitio eo facilior fuit, quia enuntiata quaedam et interrogativam et relativam rationem permittunt, ut Adel. IV 8, 32 *ut habeas, quicum cantites*, unde exempla mere relativi sensus non ita multum distant. *Quicum* quasi in unum coaluerat, ita ut, etiamsi sententia relativa erat, *quicum* nihil mutatum usurparetur. Quid autem si codices *quocum, quacum* tradiderunt? Legimus:

Cist. II 2, 42. Sed illaec se quandam aiebat mulierem
Suam benevolentem convenire etiam prius
Commune quacum id esset sibi negotium.

Bacch. IV 8, 10. Vir hic est illius mulieris, quacum accubat.

Trin. IV 2, 60. Ridicule rogitas, quocum una cibum
Capere soleo (R).

Phor. II 1, 9. Quod si tibi res sit cum eo lenone, quocum mihi est.

Eun. III 5, 26. Viderem, audirem, essem una, quacum cupiebam.

Cum in editionibus critico apparatu illustratis his locis varias lectiones non invenerim, *quocum* et *quacum* codicibus servata mihi videntur, pro multis tamen illis exemplis, quibus *quicum* eodem sensu, eadem ratione positum est, non possum quin *quocum* et *quacum* Plauto et Terentio abiudicem et librariis attribuam. Quoniam adhuc attulimus exempla, ubi *qui* aut in structura ablativi absoluti adhibitum est, aut cum praepositionibus, quae ablativum exigunt, coniunctum, venimus ad ea, quibus *qui* vulgari ablativi notione sive instrumentum sive causam significare demonstratur. Incipiamus ab ablativo pretii:

Pers. IV 4, 41. Indica, minimo daturus qui sis, qui duci queat.

Pseud. IV 7, 90. Quid maneam? Chlamydem hanc commemora qui conducta sit?
(vulgo: commemoras, quanti conducta est. cf. Ed. Becker, De synt. interr. obl. in Studem. stud. in prisc. scr. coll. p. 169.)

Men. V 9, 97. Vaenibunt, quiqui licebunt, praesenti pecunia.

Men. III 3, 25. Ut, quantum possit, quique liceat, vaeneant.

Pers. IV 4, 110. Tum tu pauca in verba confer, qui datur, tanti indica.

Pretii igitur *qui* habet vim, ut in verbis emendi et vendendi ablativus pariter atque genetivus usitati fuerunt, neque neglegendum est, ne hic quidem *qui* substantiva notione carere, quia in v. Pers. IV 4, 41 *minumo qui* non idem est, quod, *quo minumo*, sed *minumo* a *qui* secernendum, quippe quod per se ipsum stet, ut e versu Epid. II 2, 113 liquet, ubi *minumo* et *quadraginta minis* coniunguntur. Nostra lingua idem fere possumus, cum dicimus: zu welchem Preise (wofür) wenigstens? Quin etiam *minumo* genetivo appositum est in versu Epid. II 2, 112: *quanti emi potest minumo?* In *qui datur qui* non relativum est, sed interrogativum, etsi *tanti* et *qui* sibi respondere videntur, et indicativus *datur* sequitur. *Indica* potius gravissimum verbum est, unde *qui datur* pendet neglecta syntaxis

ratione de quo dicendi genere perusitato accuratissime disputatum est ab Ed. Beckero in libro supra citato.

Insequuntur nunc exempla, ubi modo causa, modo instrumentum, modo ratio quaedam significatur.

Curc. V 3, 27. Qui promisi? Lingua.
Merc. I 2, 74. Qui potuit videre? Oculis. Quo pacto? Hiantibus.
Merc. I 2, 76. Qui, malum, ego nugor, si tibi, quod me rogas, respondebo?
Merc. II 3, 60. Qui vero? Quia nostra formam non habet dignam domo (cf. F. W. Mueller, Plaut. Pros. p. 15).
Merc. II 3, 69. Qui vero? Quia illa forma matrem familias Flagitium sit, si sequatur.
Merc. II 3, 111. Qui scio,
Quid sit ei animi, venirene eam velit an non velit?
Merc. II 4, 12. Sed qui scis, esse amicam illanc meam?
Merc. III 1, 13. Qui? Quia illim unde huc advecta sum, malis bene esse solitum est.
Merc. III 4, 27. Qui? Quia aequalem et sodalem civem liberum enicas.
Curc. I 1, 40. Qui? Quia scelestam servitutem serviunt.
Bacch. IV 3, 36. Qui, malum, parum? Immo vero nimio minus multo parum.
Hec. I 2, 28. Sed qui istuc credam ita esse?
Hec. II 1, 38. Qui scis, an ea causa, mi vir, me odisse simulaverit?
Phor. III 1, 16. Qui istuc? Quia non rete accipitri tenditur.
Phor. V 4, 5. Abduci non potest. Qui non potest?
Phor. V 7, 16. Ita velim, sed qui istuc credam ita esse mihi dici velim.
Phor. V, 9, 22. Satis superbe inluditis me. Qui? Rogas?
Cist. I 6, 63. Indidem, unde oritur, facito ut facias stultitiam sepelibilem.
Qui faciam? (B qui, alii: quid.)
Poen. V 2, 19. Qui scis? Viden homines sarcinatos consequi?
Poen. V 2, 26. Nihil edepol. nam qui scire potui, dic mihi.

Cist. I 1, 64. Qui faciam? In latebras abscondas pectore penitissumo.
Truc. II 4, 4. Qui tam inficetus Lemno adveniens, qui tuae Non des amicae . . . . suavium?
Rud. III 6, 54. Qui? Quia auderem tecum in navem ascendere.
Bacch. II 2, 14. Qui scire possum? Nullus plus.
Capt. II 4, 96. Qui tu scis?
Epid. II 2, 26. Qui tu scis? Quia ego ire vidi milites plenis viis.
Amph. II 1, 82. Qui, malum, intellegere quisquam potis est?
Amph. II 2, 43. Qui tibi istuc in mentem venit?
Amph. IV 2, 14. Sacrufico tibi. Qui? Quia enim te macto infortunio.
And. III 3, 33. Qui scis ergo istuc, nisi periculum feceris?
And. IV 5, 52. Nescis quid sit actum? Qui sciam?
And. V 4, 52. Qui? Quia habet aliud magis ex sese et maius.
Eun. IV 6, 7. Qui, quaeso, istuc?
Haut. III 7, 30. Nam qui ille poterit esse in tuto, dic mihi?
Amph. II 2, 72. Qui istuc potis est fieri?
Amph. II 2, 87. Qui istuc in mentem est tibi?
Men. V 2, 36. Qui ergo istuc, mi pater, cavere possum?
Truc. I 1, 2. Qui istuc? Rationem dicam.
Pseud. III 2, 77. Quaeso, qui possim, doce.
Mil. III 2, 14. Quid vis? Qui lubitum est, illi condormiscere?
Aul. II 6, 6. Qui? Quia temeti nihil allatum intellego.
Epid. II 2, 67. Ibi illa interrogavit illam: Qui scis?
Epid. II 2, 89. Qui scis? Scio.
Epid. III 1, 15. Qui tibi lubet mihi male loqui?
Bacch. V 2, 48. Tun homo putide, amator istac fieri aetate audes? Qui non?
Stich. II 2, 28. Qui potuit scire?
Poen. V 4, 111. Quaeso, qui lubet tam diu tenere collum?
Poen. I 2, 128. Qui lubet spectare turpes, pulchram spectandam dare?
Cas. II 3, 46. Qui, malum, homini scutigerulo dare lubet?
Mil. III 2, 21. Qui iam? Quia enim obsorbui.
Mil. III 3, 51. Qui noverit me, quis ego sim?

Mil. IV 6, 62. Quid? Qui id facere potuit?
Bacch. I 1, 19. Qui, amabo? Quia, Bacchis, Bacchas metuo.
Epid. I 2, 29. Perdidisti omnem operam. Nam qui perdidi?
Aul. II 5, 13. Qui vero? Rogitas?
Bacch. IV 3, 46. Qui in mentem venit tibi, istuc facinus facere tam malum?
Bacch. V 1, 30. Qui scis? Vidi.
Curc. III 44. Summane, salve. Qui Summanu's? fac sciam.
Curc. V 2, 42. Qui credam istuc ego?
Bacch. III 3, 62. Quidum? Quia malum si promptet, in dies faciat minus.
Epid. II 2, 116. Quidum? Quia enim mulierem alius illam adulescens deperit.
Asin. III 3, 30. Quidum? Quia oculi sunt tibi lacrimantes, eo rogavi.
Eun. II 2, 42. Quidum? Quia testis es.
Amph. IV 2, 12. Quidum? Quia senecta aetate a me mendicas malum.
Men. I 2, 51. Quidum? Ne te uxor sequatur.
Mil. II 3, 54. Quidum? Quia ludo luto.
Most. II 2, 20. Quidum? Sic: quia || Foris ambulatis.
Pseud. I 3, 100. Quidum? Sic: quia,
Si ego emortuos sim, Athenis te sit nemo nequior.
Pseud. I 3, 102. Quidum? Ego dicam tibi.
Adel. II 4, 7. Qui potui melius, qui hodie usque os praebui?
Eun. V 8, 3. Egone ut Thaidi me dedam et faciam, quod iubeat? Quid est,
Qui minus huic quam Hercules servivit Omphalae?
Eun. pr. 36. Quod si personis iisdem uti aliis licet:
Qui magis licet curantem servum scribere?
Merc. IV 5, 11. Nam uxor contenta est, quae bona est, uno viro,
Qui minus vir una uxore contentus siet?
Rud. I 3, 41. Nunc qui minus ego servio, quam si forem serva nata?
Rud. IV 3, 47. Qui minus hunc communem quaeso mi esse oportet vidulum?

Stich. I 2, 4. Vos meministis quot calendis petere demensum cibum:
Qui minus meministis, quod opus sit facto, facere in aedibus?
Amph. pr. 76. Qui minus
Eadem histrioni sit lex, quae summò viro?
Cist. I 1, 4. Soror si mea esses,
Qui magis potueritis mi honorem ire habitum Nescio.
Adel. II 2, 5. Qui tibi magis licet meam habere, pro qua ego argentum dedi.

Consistamus hic in congerendis exemplis, quae eis, quae supra posuimus, gravi satis documento sint. Tantum autem abest, ut *qui* solum in talibus quaestionibus usurpatum sit, ut ne *quid* quidem insolitum fuerit, neque tamen ita, ut pro lubito *qui* et *quid* permutari potuerint. Accepta sunt imprimis usu: Quid istuc est? (Bacch. III 6, 32; IV 1, 11; Cas. pr. 68; Merc. V 4, 51; Stich. I 2, 50; Cas. II 5, 9; Cist. II 3, 61; IV 2, 80), quid iam? (Most. II 2, 29; Bacch. I 1, 16; Cas. II 3, 44; Pseud. I 3, 91; IV 7, 43; Mil. II 3, 51; II 5, 62; Epid. I 1, 54; II 2, 105; IV 3, 26; IV 1, 28; Mil. II 5, 59; 62; III 2, 6; IV 5, 4; Pers. I 1, 13; 19; II2,51; II 5, 16; IV 4, 13), quid ita? (Bacch. I 1, 54; 68; II 3, 20; Cas. III 1, 13; Epid. I 1, 56; 72; III 2, 13; Most. I 3, 110; II 1, 18; III 1, 108; III 2, 31; IV 3, 49; Trin. IV 2, 42), quid hoc? Epid. III 2, 8. quid tandem? Truc. I 2, 90. quid igitur? Stich IV 2, 44; V 4, 40.

Secundaria, quae e verbo pendent, enuntiata hucusque reliqui, quia nescio an quis dubitet, utrum relativum *qui* an interrogativum intellegendum sit, atque ita singulari diligentia opus est. Namque manifestum est in exemplis postremo allatis ablativum substantivi *quid* in adverbium vel particulam vertisse, cuius significationem *quomodo, unde, quare* notiones plane aequare atque postulamus, ut idem usus quaestionibus e verbo quaerendi pendentibus usurpatus sit. Atqui constat interrogationes obliquas non eas modo haberi, quae cum interrogandi notionibus cohaerent, sed etiam eas, quae cum sentiendi et declarandi verbis copulatae sunt. Tali autem modo artum

sententiarum verborumque conexum facillime relaxari potuisse quis negabit? Itaque nihil in hac re valent pronomina: *aliquid*, *nihil*, *aliud*, *quidquam*, quibus ratio conexus non permutetur. Ut brevius dicam, quaestiones, si qua ratione cum alio enuntiato subiunctae sunt, saepe non verbis praecedentibus stricte, sed liberius sententiae modo annexae sunt. Atque instrumenti quidem auctoritatem habet etiam via, qua quis ad finem propositum venire studeat, neque logice errat, qui finem assequendum cum via ingredienda commutat. Ita *qui* notionem *ut* aequiperans et ea verba sequitur, quibus studium quoddam subest (operam dare, curare, efficere), et pro finali *ut* communem in modum accipitur. Iam denique meminerimus supra *unde* et *qui* inter se paria posita esse atque sciamus etiam *unde* cum utendi verbo coniunctum pro casu ablativo legi Adel. V 7, 24:

Tu tuum officium facies atque huic aliquid paullulum prae manu
Dederis unde utatur.

Facile, opinor, patiemur *qui* et *unde* in quaestionibus obliquis promiscue usurpari atque etiam in relativis enuntiatis finalibus occurrere, ubi adeo periculum est, ne quis praecedente substantivo *qui* sequente, severam grammaticam expressam et *qui* pro *quo* et *qua* acceptum esse existimet. *Qui* relativum particula est *unde* valens et ex interrogativis enuntiatis in relativa transiit. Non in finalibus solum enuntiatis invenitur, sed etiam in aliis, ubi indicativus positus est.

Meri ablativi vis inesse videtur in:

Adel. V 6, 74. Huic demus, qui fruatur.
Trin. II 2, 74. Deum virtute habemus et qui nosmet utamur, pater.
Capt. V 2, 16. Nugae istaec sunt, non me censes scire, qui dignus siem?
(cf. Cic. ad Attic. XI 11. videas ut sit, qui utamur. XIII 23, 3. habeo qui utar.)

Particulae vis apparet:

Epid. III 3, 3. Mirum, hoc qui potuit fieri.
Haut. III 2, 9. Sed te miror, Chreme,
Tam mane qui heri tantum biberis.
Men. II 2, 62. Sed miror, qui ille noverit nomen meum.

Haut. II 2, 121. At hoc demiror, qui tam facile potueris Persuadere illi.
Amph. II 2, 144. Nimis demiror, Sosia,
Qui illaec illic me donatum esse aurea patera sciat.
Most. II 1, 41. Nullus sum! Taceas. Ego qui istaec sedem, meditabor tibi.
Most. III 2, 25. Hoc habet! Reperi, qui senem ducerem.
Epid. II 2, 102. Et reperi, haec te qui abscedat suspicio.
Accius (Ribb. tr. r. 149, 103). Nec quei te adiutem, invenio.
Phor. V 8, 7. Hoc qui cogam, re ipsa repperi.
Trin. pr. 14. Quoniam ei, qui me alat, nil video esse relicui.
Trin. II 4, 160. Nam qui vivamus nihil est, si illum amiserit.
Phor. V 1, 5. Ut sit, qui vivat, dum aliud aliquid flagitium conficiat.
Trin. III 2, 27. Ut sit tibi, qui te corrigere possis.
Trin. III 2, 74. Nec quidquam hic tibi est, qui vitam colas.
Capt. III, 4, 49. Quia tute ipse eges in patria nec tibi, qui vivas, domi est.
Bacch. IV 5, 14. Da tu qui bene sit, ego, ubi sit, locum lepidum dabo.
Hec. IV 4, 24. Aliud si scirem, qui firmare meam apud vos possim fidem.
Men. II 3, 30. Quom nihil est, illi qui homini diminuam caput.
Curc. IV 2, 33. Ecquid das, qui bene sit?
Haut. IV 5, 14. Ut des, qui aurum comparet.
Eun. III 2, 35. Nemo potest, qui haberet, qui pararet alium, hunc perpeti.
Capt. pr. 27. Si quem reperire posset, qui mutet suum.

[Editiones veteres et Camerarius: *cum quo*. cf. I 1, 33: Homines captivos commercatur, si queat Aliquem invenire, suom qui mutet filium. *Qui* non est, *cum quo*, sed *unde*, et significat instrumentum vel fons, unde aliquid oriatur. Quod si cum personis coniungitur, nihil mirum est, cum legamus:

Most. III 1, 15. Conveni illum, unde has aedes emeram.
Epid. I 1, 83. Nunquam hominem quemquam conveni, unde abierim lubentius.

Trin. I 2, 118. Neu quoiquam, unde ad eum id posset permanascere.]

Confer *unde* in verss:

Capt. IV 2, 71. Scis bene esse, si scis unde.
Cas. III 5, 4. Nescio, unde auxili, praesidi, perfugi
Mihi aut opum copiam comparem aut expetam.
Haut. V 4, 1. Rogasse vellem. Quid? Syre. unde mihi peterem cibum.
Truc. IV 4, 25. Nunc puero alere et procura, quia unde procures, habes.
Most. II 1, 80. Hinc speculabor procul,
Unde advenienti sarcinam imponam seni.
Cist. IV 2, 2. Neque unde auxilium expetam, habeo.
Trin. I 1, 83. Habeo, unde istuc tibi, quod poscis, dem.
Trin. I 2, 121. Habeo dotem unde dem.
Adel. I 2, 27; 2, 43. Nam si esset, unde id fieret.

Pergimus iam in enumerandis, quae supra expetivimus, exemplis.

Eun. V 3, 11. Spero me habere, qui hunc meo excruciem modo.
Aul. II 8, 7. Abeo illinc iratus, quoniam nihil est, qui emam.
Hec. III 8, 38. Quam operam dare id, qui nos oderit.
Trin. III 2, 62. Nolo ego mihi te tam prospicere, qui meam egestatem leves.
And. II 1, 9. Quanto satius est, te id dare operam,
Qui istum amorem ex animo amoveas tuo, quam id loqui.
And. II 1, 36. Facite, fingite, invenite, efficite, qui detur tibi.
And. II 1, 37. Ego id agam, mihi qui detur.
Haut. III 1, 83. Dum id quaero, tibi qui filium restituerem.
Hec. V 4, 29. Qui hoc occultum iri facilius credas, dabo.
Trin. I 2, 98. Neque qui deterior esset, faceres copiam.
Rud. II 3, 61. Ne copia esset eius || Qui suos parentes nosceret.
Rud. IV 4, 40. Si id dederit, qui suos parentes quaerat.
(curare ut: Curc. IV 2, 31 perficito ut: Asin. I 1, 89. facio ut: Capt. III 4, 78. Asin. I 2, 14. Capt. I V2, 21. Asin. II 2, 91).

Mil. III 1, 172. Nam ego inveni lepidam sycophantiam,
Qui admutiletur miles usque caesariatus atque uti
Huic amanti Philocomasio hanc efficiamus copiam,
Ut hic eam abducat abeatque. cf. Bacch. II 2, 55:
Inde ego hodie aliquam machinabor machinam,
Unde aurum efficiam amanti huic filio.
Truc. V 17. Accipe hoc sis, qui istuc efficias opus.
Rud. pr. 11. Is nos pergentis alium alia disparat,
Qui facta hominum, mores, pietatem et fidem
Noscamus.
Curc. IV 3, 39. Numquid vis leno? Istas minas decem, qui me procurem,
Dum melius sit, mihi des.
Pers. I 2, 46. Inibi paullum praesidii
Qui familiarem suam vitam oblectet modo.
Amph. I 1, 183. Verum certum 'st confidenter hominem contra alloqui,
Qui possim videri huic fortis, a me ut abstineat manum.
Aul. III 4, 5. Is ea causa misit, hoc qui surperent.
Asin. II 4, 12. Utinam nunc stimulus in manu mihi sit . . . Quiesce quaeso.
Qui latera conteram tua.
Aul. pr. 14. Agri reliquit ei non magnum modum
Qui cum labore magno et misere viveret.
Aul. II 2, 10. Habes sat, qui bene vitam colas.
Pseud. I 1, 87. Restim volo
Mihi emere. Quam ob rem? Qui me faciam pensilem.
Pseud. I 3, 130. I, gladium adfer. Quid opus gladio? Qui hunc occidam.
Rud. I 2, 34. Quin tu in paludem is exsecasque arundines,
Qui pertegamus villam, dum sudum est?
Rud. II 3, 59. Quia leno ademit cistulam ei, quam habebat, ubique habebat,
Qui suos parentes noscere potesset.

Phor. IV 3, 50. Sed mi opus erat, ut aperte tibi nunc fabuler,
Aliquantum quae afferret, qui dissolverem, quae debeo.

Trin. I 2, 92. Dedistin hoc facto ei gladium, qui se occideret?

Trin. I 2, 95. Argentum amanti homini, adulescenti, animi impoti,
Qui exaedificaret suam incohatam ignaviam.

Trin. III 2, 50. Tum igitur aquae erit tibi cupido, qui restinguas ocius?

Trin. III 2, 52. Ne scintillam quidem relinques, genus qui congliscat tuum.

Most. I 3, 101. Cedo cerussam. Quid cerussa opus nam? Qui malas oblinam.

And. II 4, 5. Orationem sperat invenisse, qui differat te.

Haut. V 4, 12. Nunc filia || Postquam est inventa vera, inventa est causa, qui te expellerent.

And. pr. 6. In prologis scribundis operam abutitur,
Non qui argumentum narret, sed qui malevoli
Veteris poetae maledictis respondeat.

Pseud. I 5, 152. Me idcirco haec tanta facinora promittere,
Qui vos oblectem.

Pseud. I 5, 127. Quid si hisce inter se consenserunt, Callipho,
Aut de compacto faciunt consutis dolis,
Qui argento circumvortant? (cf. Bacch. IV 4, 88.)

Truc. I 2, 11. Si vident quempiam se adservare, obludunt,
Qui custodem oblectent per ioculum et ludum.

Asin. III 1, 36. Aliquem habeat peculiarem, qui spem soletur suam.

Asin. III 3, 136. Viginti argenti commodas minas, huius
Qui dem matri (B quas).

Most. I 3, 109. Nimis vellem lapidem, qui ego illis speculo diminuam caput.

Cist. IV 2, 49. Quid ego herae dicam quae me opere tanto
Servare iussit, qui suos Silenium parentes
Facilius possit noscere?

Pseud. I 5, 72. Ita: quas meo gnato des, qui amicam liberet.

Stich. II 3, 52. Lanam purpuramque multam. Hem qui ventrem vestiam.

Poen. V 4, 109. Vix hoc videmur credere. Magis qui credatis dicam:

Bacch. IV 8, 15. Ille olim habuit ignem, qui signum daret.

Aul. IV 1, 10. Quasi pueris, qui nare discunt, scirpea induitur ratis,
Qui laborent minus.

Capt. V 4, 7. Itidem haec mihi advenienti upupa, qui me delectem, data est.

Aul. III 5, 39. Ancillas, mulos, muliones, pedisequos
Salutigerulos pueros, vehicla, qui vehar.

Mil. II 1, 61. Itaque ego paravi hic intus magnas machinas,
Qui amantis una inter se facerem convenas.

Pseud. III 2, 38. Quid tu? divinis condimentis utere,
Qui prorogare vitam possis hominibus.

Rud. IV 4, 66. Ubi sunt signa, qui parentes noscere haec possit suos.

Men. V 1, 43. Si scis, monstra, quod bibam,
Tuam qui possim perpeti petulantiam.

At, inquiunt, quare sermonis usu non comprobatum est: prohibere qui minus, facere qui minus?

Facio quo minus nuptiae fiant vult dicere, eo quod ego facio, nuptias non fieri, ut *quo* relativi pronominis ablativum ad *facere* notionem referendum esse appareat. *Quo minus fiant* igitur non in opinione mea modo versatur, sed sequitur ut verum aliquod ex eo, quod facio. *Facio qui minus nuptiae fiant* significat me id agere, ne nuptiae fiant, neque tamen iam scire, num futurum sit, ut finem consequar. Neque aliter *prohibere quo minus* q. e. eo, quod prohibeo, aliquid non fit; *prohibere qui minus* nunquam acceptum est, quia *prohibere* notioni non studium subest, sed actio, unde aliquid sequitur, et finis vel studium agendi semper *ne* coniunctione redditum est. cf. Sall. Iug. c. 40, 2. Andr. I 2, 27.

Si sensero hodie quidquam in his te nuptiis
Fallaciam conari, quo fiant minus.

Ad finem iam exemplorum generum pervenimus, ubi *qui* interrogativum nobis visum est aut, si relativum, ad interroga-

tivum primarium revocandum fuit. Id autem gravissime nunc praedicandum est, nullum nos invenisse exemplum, ubi *qui* cum substantivo in adiectivi modum coniunctum est. Semper legimus: qua re? quo modo? quo pacto? quo iure? qua fiducia? qua causa? quo? (loc.) qua? (loc.) alia sexcenties. Itaque miror, quod adhuc doctis viris probatus est versus Aul. IV 10, 47.

Si me novisti minus, || Genere qui sim gnatus.

Cum alibi legamus *genere quo:*

Capt. II 2, 27. Quo de genere natust illic Philocrates?
Capt. II 2, 45. Nam ego ex hoc, quo genere natus sis, scio.
Pseud. II 1, 19. Med esse ut sciant natum || Quo sim genere natus.
Pers. IV 7, 47. Quo genere aut qua in patria situata aut quibus parentibus?
Poen. pr. 10. Quo genere gnata, qui parentes fuerint.
Trin. II 2, 92. Scin tu illum, quo genere gnatus sit?

Itaque corrigo in illo versu *qui* in *quo.*

A quo vel *a qui*, ut ne hoc quidem omittam, nunquam repperi, pro quibus semper dictum est: *unde*, exemplis creberrimis.

Accedamus nunc ad pronomen indefinitum, et videamus primum, num, ut interrog. *qui*, ita indefinitum cum praepositionibus compositum inveniamus. Praepositionis *cum* locos supra collegimus, *quiquam* substantivum esse rati (Asin. II 4, 60. Pers. IV 4, 97. Asin. IV 1, 23). Adsunt praeterea:

Adel. II 5, 1. Abs quivis homine, cum est opus, beneficium accipere gaudeas.
Hec. III 8, 35. Audisti ex aliqui fortasse, qui vidisse eum diceret.
Epid. III 1, 12. Verum aliquid aliqua aliquo modo
Alicunde ab aliqui aliqua tibi spes fore mecum fortunam.

Aliqui neutrum exhibetur:

Truc. V 30. Quamquam ego tibi videor stultus, gaudere aliqui me volo.
Truc. V 31. Nam quamquam bella es, malo tuo es, nisi tecum aliqui gaudeo.

Aul. pr. 24. Aut ture aut vino aut aliqui semper supplicat.
Pers. II 2, 10. Atque ob istanc rem ego aliqui te peculiabo.

(A *aliqui*, alii *aliquid*, neque Ritschelio assentior, cum hoc *aliquid* veterem formam *aliqui* esse codicibus servatam censet. Malim equidem a librariis accusativum intellectum fuisse.)

Most. I 3, 18. Hercle égo ob hoc vérbum té, Scaphá, donábo hodie áliqui . . . .

(libri *aliqui* C aliquia) ubi Ritschelius supplet *merito* vel *ut merita's*. Quid? si non finis sed initium versus corrigendum est ita:

Edepól ego ob hóc verbúm, Scaphá, hodie áliqui té donabo (cf. Pers. II 2, 10). aut si *donabo* in *condonabo* commutandum ita:

Hercle égo ob hoc vérbum té, Scaphá, hodie áliqui cóndonabo.

Mil. IV 4, 46. Praecinctus aliqui, adsimulato, quasi gubernator sies.

Enclitice *qui* adhaeret in *numqui* et *siqui*, pro quibus etiam *numquid* et *siquid* in usu fuisse supra commemoravimus. De constituendis exemplis codices diligentissime consulendi sunt, e quibus collegimus:

Pseud. I 2, 27. Numqui minus ea gratia tamen omnium utor opera?
Aul. pr. 16. Coepi observare, ecqui maiorem filius
Mi honorem haberet.
Rud. III 4, 31. Numqui minus has esse oportet liberas?
Rud. IV 3, 82. Numqui minus
Si veniat nunc dominus, quoius est, ego qui inspectavi procul?
Te hunc habere, fur sum quam tu?
Adel. V 1, 14. Numqui minus
Mihi idem ius aequom est esse, quod mecum est tibi?
Pseud. I 2, 89. Numqui quoiquamst tuorum tua opera hodie conservorum
Nitidiusculum caput?
Mil. IV 2, 3. Ecqui de me fiat mentio.
Trin. I 2, 83. Si qui probiorem facere posses.

Aul. II 5, 14. Turba istic nulla tibi erit. Si qui uti voles.
Rud. III 6, 53. Verum tamen ibo, advocatus ut siem,
Si qui mea opera — citius addici potest.
Rud. IV 1, 5. Sed uxor scelesta me omnibus servat modis,
Nequi significem quidquam mulierculis.
Capt. III 5, 80. Atque hunc me velle dicite ita curarier,
Nequi deterius huic sit, quam quoi pessume est.
Stich. I 1, 32. Ubi sint, quid agant, ecqui indigeant (Fleckeis. R. *ecqui bene agant.* ABCD *ecquid agant.* forsitan haud improbandum sit *atque ecquid agant*).

His adnumeranda sunt exempla, in quibus *qui* asseverantibus particulis et enuntiatis optativis additur, ut totius enuntiati vis, quam maxime possit, augeatur. Etenim, si non solum futurum aliquid esse dico, sed etiam *hercle* vel *edepol* addo atque insuper adicio *qui,* quo continetur, iam inventum iri, quo modo aliquid efficiatur, sententiae gravitas confirmatur. Simili ratione et praesentis et praeteriti temporis est eo sensu, nullam viam patere, qua aliquid non sit, non fuerit (non futurum sit). Fleckeiseni est meritum (Misc. crit. p. 30), quod illud *qui* particulis restituit, codicibus multis locis servatum, ab editoribus et a librariis nonnunquam in *quin* et *quid* mutatum, quod inde factum est, quia ne *quin* quidem a ratione aberrat, intendendi causa ut infra videbimus, adhibitum, et *quid* accusativum, qualem in *nisi quid* invenimus, abundanter usurpatum esse visum est. *Qui* tamen e codicum auctoritate et sermone a posteris quoque servato solum probandum est. Itaque recte leges:

Pseud. I 5, 57. Mirum id videtur? Hercle qui ut tu praedicas.
(BD sic. C *ercle qui.* A *cle qui ut tu praedicas.*)
Merc. II 3, 76. Hercle qui tu recte dicis et tibi assentior ego.
Merc. V 4, 47. Hercle qui tu recte dicis. eadem brevior fabula
Erit. Eamus.
Amph. II 2, 144. Quaeso, quin tu istanc iubes
Pro cerrita circumferri? Edepol qui facto est opus (libri *quin*).
Most. III 2, 140. Hercle qui multum improbiores sunt, quam a primo credidi.

Pers. IV 4, 15. Edepol qui cum hanc magis contemplo, magis placet.
Stich. IV 1, 53. Hercle qui aequum postulabat ille senex.
Men. V 9, 38. Hercle qui tu me admonuisti recte et habeo gratiam.
(B: *qui.* altera manus n supraiecit. ceteri: *quin.*)
Men. II 3, 79. Hercle qui tu recte dicis. eadem ignorabitur.
(B: *quin tu.* CD: *qui intu* ex *qui*^{in} *tu* exortum. vide Fleck. p. 30.)
Trin. II 4, 63. Hercle qui dicam tamen (libri *quid.* A *quin,* quod Ritschelius recepit).
Poen. IV 2, 88. Hercle qui meus collibertus faxo eris, si di volent (vulgo *quin hercle coll*).
Merc. II 3, 19. Hercle qui illunc di infelicent, quisquis est!

Loco postremo *qui* optativa particula quoque (q. e. *ut* vel *utinam*) esse potest. Solum per se positum est in imprecationibus neque tamen, utrum *qui* ex *hercle qui* coniunctis particulis desumptum sit, an ad finalia enuntiata revocandum, statim exigi potest. Namque ut *di deaeque perdant* suppleri potest *velim, studeo, opto* verbis, ita ex eis, quae supra exposuimus, *qui* pro *ut* substitui posse apparet. Utraque particula invenitur:

Capt. II 4, 1. Qui illum di omnes deaeque perdant!
Men. III 1, 6. Qui illum di omnes perduint, qui primus commentu'st.
Pers. V 2, 6. Qui illum Persam atque omnes Persas atque etiam omnes personas
Male di omnes perdant!
Pers. II 4, 25. Qui te di deaeque . . . ! (*qui* A, *quin* reliqui).
Phor. I 2, 73. Homo confidens: qui illum di omnes perduint!
Men. V 5, 31. Qui te Juppiter dique omnes, percontator, perduint!
Rud. IV 4, 122. Qui te di omnes perdant, qui me hodie oculis vidisti tuis!
Aul. IV 1, 59. Ut illum di immortales omnes deaeque, quantum potest, perduint!

Cas. II 3, 24. Uti te bonus
Mercurius perdat!
Pers. II 4, 27. Ut istunc di deaeque perdant!
Merc. IV 3, 11. Ut te omnes, Demipho, di perduint!
Trin. IV 2, 78. Qui istum di perdant!
Trin. IV 2, 155. Qui te di omnes advenientem peregre perdant!

(BCD *Quo di te* vel *Quodi te* vel *Quo dite.* FZ *Quod dite.* Scaliger *qui te.* cf. Lange. Mus. Rhen. XII p. 433.)

Ut in hoc exemplo *quod* falsum est, ita in alio imprecandi genere rectissimum neque tamen cum Lambino ita explicandum est, ut pendeat ex praecedentibus et suppleatur: vera dicis, si dicis, quod tibi etc. Videamus haec exempla:

Amph. II 1, 13. Malum quod tibi di dabunt atque ego hodie
Dabo.
Most. III 1, 122. Malum quod isti di deaeque omnes duint!
Pseud. IV 7, 31. Malum quod tibi di dabunt, qui sic scelestus.

Placet mihi *quod* indefiniti pronominis adiectivi accussativum intellegere (*κακόν τι*) et ab illo *qui* prorsus distinguere. Itaque in vers. Trin. IV 2, 155 optimo iure contra codicum auctoritatem *quod* in *qui* correctum est, quia *quod* non est particula optativa. Atque quamquam rationis modum non excedunt, qui alium versum:

Stich. II 1, 106. Malum tibi di dent! haec eadem dicit tibi.

constituerunt ex codicibus, qui praebent: *Malum quidem si vis,* tamen aliud coniecerim, quod scripturam proditam melius aequet et non *malum* sed *malum quod* (ut supra) exhibeat (adiutus v. Pers. II 4, 25): Malum quod tibi di . . . ! haec eadem dicit tibi.

Quibus locis comparatis sic statuimus *qui* per se positum, cum semper coniunctivum habeat, non particulam esse asseverantem, sed pro *ut* eadem vi ex finalibus enuntiatis explicandum esse.

Terentius, a quo *hercle qui, edepol qui* aliena sunt, *hercle, edepol, pol, profecto* inter se coniungit aut *vero* addit, quod eo magis offensioni est, quod *quippe qui, ut qui* usurpavit.

De quibus ut nunc disseramus, non audiendus est librarius Bembini codicis, qui ad vers. Haut. III 2, 28.

Ego vero laudo. Recte sane. Quippe qui
Magnarum saepe id remedium aegritudinum est.

adnotat: *parelcon abundat qui.* Deceptus videtur, quod relativum pronomen *quippe, ut* sequens interdum declinatur et genus nominis, cui pronomen respondet, redditur *(quippe quibus, quippe quod, quippe quem* a posterioribus et a Plauto et a Terentio adhibita) neque *qui* habet quidquam, quo genere referendum sit. Sunt qui *quia* voluerunt, quod bisyllabum pro una syllaba in fine versus improbo, quamquam *quippe, quod, quippe quia* usu accepta sunt. Equidem ego *quippe qui* hoc loco tueor, *qui* ablativum pronominis indefiniti ducens, atque in aliis exemplis statuendis id agendum erit, ut *quippe* (ut) *qui* (rel.) et *quippe* (ut) *qui* (indef.) diligenter distinguantur, quia errandi periculum in proximo est.

Intellexi indefinitum:

Bacch. V 3, 96. Nam equidem haud aliter esse duco, quippe qui nemo advenit.

(Lambinus et Ritschelius: *quo* quod mihi quidem non videtur desiderari. B *qui* reliqui: *cui.*)

Truc. I 1, 49. Nam nusquam alibi si sunt, circum argentarias
Scorti lenones quasi sedent quotidie.
Ea nimis est ratio: quippe qui certo scio.
Trin. III 2, 11. An id est sapere, ut qui beneficium a benevolente accipias?
Capt. III 4, 21. Et eum morbum mi esse, ut qui me opus sit insputarier.
Aul. II 5, 22. Quippe qui
Ubi quid surripias, nihil est.

Intellexi relativum:

Pseud. V 1, 35. Quippe ego, qui probe perdidici Ionica (commate anteposito).
Curc. II 1, 3. Quando Aesculapi ita sentio sententiam,
Ut qui me nihili faciat nec salvum velit.
Bacch. II 3, 50. Adeone me fuisse fungum, ut qui illi crederem?
Tametsi pro imperio vobis quod dictum foret.
Amph. pr. 22. Scibat facturos: quippe qui intellexerat.

Iam superest, ut quale *qui* in *quippe* sit, explicemus. Quod non *quid* intellegendum esse e Festi epitomatoris nota (p. 105)

apparet: *ipsippe*, *ipsi neque alii*. Suffixum igitur est pe (Corss. Voc. II 846), cuius p ut in *Iuppiter* duplicatum est. *Qui* tamen e pronomine relativo derivandum videtur, cum interrogativi pronominis ratio perversa sit. Quode etiam aliis consideratis nobis persuasum est, coniunctiones relativas, quantum potuerit, ad interrogativas formatas esse. Habemus millies: Quidum? Qui? — Quia. *Quia* autem constat e *qui* et *iam*. Atque ut quaestio anteit responsum et causa effectum, ita *qui iam* interrogativum primarium fuit, quod in responso relativum vel demonstrativum sensum accepit. *Quia* interrogativi testis est Ennius versu:

Quianam dictis nostris sententia flexa est?

et in Truc. I 2, 40 legimus:

Nimis otiosum te arbitror hominem esse. Quianam arbitrare?
Quia tuo vestimento et cibo alienis rebus curas.

Hoc posito non opus est etiam *quippe* in quaestionibus dictum esse, quia coniunctiones cum aliis elementis compositae suam propriam viam ingressae sunt. De syntaxi verbi ad *quippe (qui)* vulgata nihil commemoro nisi et indicativum et coniunctivum, prout ratio poscit, poni. A *quia* autem *quippe* in eo differt, quod ut particula asseverans q. e. nimirum, nullo verbom sequente acceptum est, tum autem novum enuntiatum causale *nam* vel *enim* particulis incipitur. Exempli gratia: Cic. pro Mur. 35, 74. Ergo ad cenam petitionis causa si quis vocat, condemnetur. Quippe, inquit. Cic. de fin. IV 3, 7. A te quidem apte et rotunde dicta sunt. Quippe, habes enim a rhetoribus (cf. Plautinum *quippeni?* Bacch. IV 6, 41. Men. V 5, 45; V 9, 50. Poen. III 4, 21; 22; 29; 30. Pseud. I 3, 141. Truc. I 2, 109. Aut. I 3, 3).

De alia compositione inter interrogativum et indefinitum ambigitur.

Namque *atqui* coniunctione aliquid alteri sententiae praecedenti contrarium ponitur, ita ut contrarium verum esse confirmetur. Atque si *qui* interrogativum interpretaris, *atqui* per se intellegendum est, ut mireris vel figurate quaeras, qui aut quomodo, quae praecedunt, cum eis, quae sequuntur, coniungi possint. Meliore autem, opinor, iure *qui* cum illo *qui*, quod est in *hercle qui*, conferimus, ut *atqui* ad verbum sequens

spectet et *qui* sententiae vim intendat. De usu vario v. Handium (Turs. I p. 513). Sunt etiam qui *atqui* ex *atquin* exortum esse voluerunt (Schneider lat. gr. I p. 497). De qua re Handius I p. 523: sunt grammatici, qui alteram particulae formam poni solere censent ante vocalem proximi verbi, nihil tamen differe significationem et usum. His assentiri non possumus, etiamsi hiatum n voce temperari concedamus, cum non tanta fuerit apud Latinos hiatus fuga, ut illo n ut Graeci *ν ἐφελκυστικῷ* uterentur. Veteres grammatici nihil tradunt, praeter Caprum, qui de orthographia. 2241 praecipit: *Atqui careat n similiter alioqui*. Plautus et Terentius *atquin*, *alioquin* ignorant. Alii denique, qostquam locativam syllabam finalem *im* ab Handio (Turs. III 2, 11), Ritschelio (Mus. Rhen. VIII 472), Lachmanno (Lucr. II 169; III 380) e codicibus investigatum constat (illim olim, istim, utrimque, umbr. fem, gr. *φιν*. Kuhn Z. f. v. Spr. W. V 133), *alioquin* et *ceteroquin* ex *alioquim* et *ceteroquim* profecta censent. Quod num probandum sit, dubius iam haereo, neque hoc loco expedire curo, quia, etiamsi verum est, *atqui*, *ceteroqui*, *alioqui* ab illis formis n voce auctis plane distare possunt. Nunc mihi *qui* indefiniti pronominis ablativus placuit (Corss. Crit. Beitr. p. 272).

Postremo *qui* indefinitum exstat syllaba ultima pronominum: queiquomque, quisque, uterque. Etenim in tab. Bant. 15 legimus *nep*, quod latinae copulae *que* respondet, *e* finali primario ex constanti ratione amisso (*pon, pan*, cf. apud Latinos: *neque, nec, atque, ac*). *Pid* autem suffixum in vocabulis Oscis: *puturuspid, putureipid, pukkapid* non accusativus neutrius generis est, quia mirum esset, quomodo suffixum latinum neutrius generis abiectum esset. Ex alia lingua gratissimam lucem repetimus. Nam apud Umbros neutrum pronominis *pere* (AK II 414) est, enclitica latina autem *pe* forma redditur in *pumpe* (cunque), *putrespe* (utriusque), aut *pei* forma in *panupei* (quandoque), *podruhpei* (utroque) v. tab. Iguv. VII b. *Pei* autem scriptura testimonium est, *e* vocem encliticae longam fuisse, ita ut *pe* non ex accusativo *pid* natum esse possit, quia consonanti littera abiecta nunquam vocalis littera finalis brevis producta est. Quodsi *pe* umbricum et *pid* oscum eadem, ut sunt, suffixa sunt, ex *pei* forma et longum *pid* vel *peid* et longum *quid* vel *queid* pro-

banda sunt. Amissa littera d, *quei* vel *qui*, praesertim cum encliticae condicione accentus nullus factus esset, in *que* mollita sunt, liberis tamen formis et accentu elatis principalis numerus et vocalis servata sunt. *Quisque* igitur proprie est: Wer irgendwie, d. h. Jeder, oder Irgendwer irgendwie, d. h. Jemand. cf.:

Asin. I 3, 47. Cetera quaeque volumus uti, graeca mercamur fide.

Asin. II 3, 24. Quisque obviam huic accesserit viato, vapulabit.

Amph. I 1, 156. Quis homo? Quisque homo huc profecto venerit, pugnos edet.

Mil. II 5, 50. Quemque hic intus videro
Cum Philocomasio osculantem, cum ego obtruncabo extempulo.

Amph. IV 3, 14. Ubi quemque hominem adspexero
Sive ancillam sive servum sive uxorem sive adulterum
Seu patrem sive avom videbo: obtruncabo in aedibus.

Bacch. III 3, 67. At quae acerrume, aestuose absorbet, ubi quemque attigit.

Hic denuo consistamus et meminerimus collectis exemplis *qui* indefinitum ubique ut *qui* interrogativum apparuisse substantivum.

Itaque dubito, num recte legatur versus Mil. II 2, 86.
Dicam Athenis advenisse cum amatore aliquo suo.

Cum in *abs quivis homine, cum quiquam amante,* quivis et quiquam substantive posita sint, *aliqui* substantivum iuxta *amatore suo* aptissimum videtur. Ergo commutaverim: aliqui.

Aliis in enuntiatis, ubi pronomen adiectivum indubitatum est, nihil nisi *quo* et *qua* reperimus. Quovismodo (Cas. II 4, 22), aliquo pacto (And. V 3, 13), ex re quapiam (Eun. V 2, 34), quovis exitio (Cist. IV 1, 11), in parte aliqua (Eun. V 11, 7), quoquo pacto (Eun. V 11 35), quoquo (loc. Men. V 2, 75. Aul. III 5, 31) quaqua (loc. Epid. I 2, 9) aliquo (loc. Men. I 2, 15) quo (loc. Men. II 2, 52; V 2, 19) qua (loc. Aul. IV 4, 20) et quae sunt alia.

Restat nobis pronomen relativum.

Ex *quicum* compositione relativa, aut ex *qui* in enuntiatis finalibus positum, aut e *quippe, quia* simplex *qui* relativum, quod genere ad substantivum quoddam referri possit, deducere non potuimus. Quaeris, num reliquum sit aliud *qui,* quod relativo adscribamus. Legimus:

Amph. I 1, 108. Post ob virtutem hero Amphitruoni patera donata'st aurea,
Qui Pterela potitare rex est solitus.

Amph. I 2, 265. Sed quid ais? Quid Amphitruoni a Telebois est datum?
Pterela rex qui potitare solitus est, patera aurea.

Amph. I 3, 37. Nunc tibi hanc pateram, quae dono mihi ulli ob virtutem data est,
Pterela rex qui potitavit, quem ego etc.

Quid ergo de his locis statuendum est? Num *qui* ablativus feminini generis est, *patera* nomine postulati, ut dicitur solo ablativo: eodem poculo bibere (Cas. V 2, 52), uno cantharo potare (Stich. V 4, 48)? Optime intellegimus rationem ex Amph. I 2, 265, ubi substantivum secundarium enuntiatum non praecedit recteque vertitur: Was ist von d. T. geschenkt worden? Woraus der König zu trinken pflegte, eine goldene Schale. Relativum enuntiatum cuiusvis generis et numeri substantivum sequi potuit neque *qui* permutari oportebat. Quid ergo clarius est, quam *qui* unde valere nulla generis et numeri relatione cum substantivo intercedente. cf.:

And. III 2, 31. Multa occurrunt simul,
Qui coniecturam hanc nunc facio.

Men. II 3, 48. Peniculo? Quis est peniculus? Qui extergentur baxeae.

Most. III 2, 38. Foenus, sortem, sumptumque omnem, qui amica est, omnia
Nos dabimus.

Most. III 1, 5. Danista adest, qui amica est empta, qui dedit.

Curc. IV 2, 10. Egone ab lenone quidquam
Mancupio accipiam, quibus sui nihil est, nisi una lingua,
Qui abiurant, si quid creditum est.

Hoc igitur adverbio relativo excepto et composito *quicum* nullum possumus exemplum constituere, ubi *qui* ablativus relativi pronominis *qui, quae, quod* accipiendus sit. Namque versum Capt. IV 2, 48.

Qui homine hominum adaeque nemo vivit fortunatior?
ita cum Gepperto corrigendum puto:

Quo homine hominum adaeque nemo vivit fortunatior.
ductus versibus:

Cas. V 1, 10. Quo senex nequior nemo vivit.
Merc. I 1, 100. Mulier, qua mulier alia nulla est pulcrior.
Most. I 1, 29. Quo nemo adaeque iuvent ute ex omni Attica
Antehac est habitus parcus.
Most. I 2, 66. Quo neque industrior de iuventute erat.
Aul. III 6, 25. Quo quidem agno sat scio
Magis curionem nusquam esse ullam beluam.

Semper, cum genus redditum est, dictum est: quo genere (Pers. IV 4, 47. Poen. pr. 110. Pseud. II 1, 20), quo mortuo (Poen. V 2, 111), quo ex, qua ex, quo abs (Asin. IV 1, 20; Epid. II 1, 5; Asin. I 1, 105; Curc. IV 1, 6), navem, qua est advectus (Merc. II 1, 33), lingua, qua negem (Capt. V 1, 16), patera, qua donavit me (Amph. II 2, 149), a quo (Rud. II 6, 71), qua (loc. Men. II 1, 2), qua — qua (h. e. et — et, Mil. IV 3, 20; 9, 15), quo (loc. Men. III 2, 50; V 7, 42; 56), quo fretus sum (And. III 5, 13), hac causa, qua (Haut. I 1, 3).

Omnibus his collectis et dispositis, cum quidnam de *qui* antiquo ablativo ponere liceat, complectimur, ita censemus. *Qui* proprius ablativus pronominum interrogativi et indefiniti substantivorum est et *unde* particulae notionem significans a relativis quoque enuntiatis acceptum est. Cum praepositione *cum* adeo coaluit, ut *quicum* compositum etiam relativo sensu usurpatum sit.

Neque tamen ad finem curae nostrae pervenimus. Est enim coniunctio cum illo *qui* composita, quae peculiari studio et commentatione digna est. Dico coniunctionem *quin*, cuius de vario usu antiquis iam temporibus a Nigidio Figulo expositum esse Gellius (XVII 13) testatur. Nihil nobis cum ex hoc libro relictum sit, integra quaestio est, quomodo *quin* a Plauto et Terentio adhibitum sit. Atque hoc quidem, quantum opus erit, expediemus, ut videamus, num usus significationi, quam de *qui* posuimus, respondeat.

Quin compositum ex *qui* ablativo pronominis interrogativi atque enclitica particula negativa *ne,* cuius e littera, ut in fine verborum *sin, tanton, men, egon,* abiecta *quin* relictum est. Quacum compositione convenit, quod *quin: cur non, quare non* valet:

Merc. I 2, 80. Eho tu, eho tu, quin cavisti, ne eam videret pater?
Merc. I 2, 81. Quin, sceleste, abstrudebas, ne eam conspiceret pater?
Stich. IV 1, 70. Quin vocasti hominem ad cenam? Ne quid adveniens perderem.
Rud. III 6, 3. Meamne ille amicam leno vi, violentia
De ara deripere Veneris voluit? Admodum.
Quin occidisti extemplo? Gladius non erat.
cf. Pers. V 2, 35.

Sensus dubitativus inest:

Mil. II 5, 16. Men rogas homo qui sim? Quin ego hoc rogem, quod nesciam?
Truc. II 7, 34. Emoriere ocius,
Si manu niceris. Quin manu nicerim?

Optimae quidem aetatis scriptoribus *quidni* potissimum placuit, quod etiam a Plauto et Terentio usurpatum saepissime legis (Mil. II 6, 73; III 3, 49; Curc. III 1, 53; Stich. II 3, 9; Men. V 5, 14. quid — ni Mil. IV 8, IV 3, 27; Pseud. I 1, 94 quidni? q. e. *quippeni*? Asin. IV 1, 46).

In enuntiatis, de quibus hucusque egimus, aliquis de aliqua re certior vult fieri. Quamquam si quis quaerit: *quin abis?* etiam lenius potest involvere, ut is, qui interrogatus est, faciat, quod nondum fecit. Tali modo natura coniunctionis interrogativae negativae *quin* vocabulo immanente sensus primarius in imperatum cohortationemve vertit.

Innumera sunt exempla in omnibus comoediis:

Asin. II 2, 59. Quin rem actutem edisseris?
Asin. II 2, 112. Quin tuum officium facis ergo ac fugis?
Bacch. IV 3, 34. Quin respondetis mihi?
Mil. IV 9, 10. Quin intro is?

Men. II 3, 36. Quin, amabo, is intro?
Men. V 7, 11. Quin me mittitis?
Most. V 2, 10. Quin venis?
Merc. II 4, 26. Quin taces?
Capt. III 4, 103. Quin quiescis (sc. cor.)?
Cas. I 1, 11. Quin ruri es, praefectura tua?
Cas. I 1, 12. Quin potius, quod legatum est tibi negotium, Id curas?
Cas. II 4, 6. Quin, si ita arbitaris, emittis e manu?
Pers. I 3, 64. Quin dicis quod facturus sis?
Asin. III 3, 71. Quin tradis huc crumenam?
Phor. III 2, 82. Quin, quod est || Ferendum, fers?
Phor. III 5, 16. Quin igitur, dum licet, dumque adsum, loquimini mecum?
Asin. V 1, 20. Quin te ergo hilarum das mihi?
Curc. I 1, 94. Quin das savium?

Pronomen personale additum est:

Asin. III 3, 69. Quin tu labore liberas te atque istam imponis in me?
Asin. I 1, 15. Quin tu ergo rogas?
Bacch. II 3, 11. Quin tu primum salutem reddis, quam dedi?
Mil. III 1 154. Quin tu istanc orationem hinc veterem atque antiquam amoves?
Mil. IV 2, 76. Quin tu hinc respondes aliquid?
Mil. IV 8, 14. Quin tu iubes efferri omnia, quae isti dedi?
Mil. IV 4, 47. Quin tu dicis, quid facturus sim?
Epid. II 2, 120. Quin tu is intro atque huc argentum promis?
Epid. III 4, 45. Quin tu fiducinam || Produci intus iubes?
Epid. V 1, 9. Quin tu mihi adornas ad fugam viaticum?
Stich. III 2, 25. Quin tu promittis?
Merc. I 2, 65. Quin tu expedis, || Quid siet —?
Asin. III 3, 7. Quin tu hic manes?
Adel. IV 2, 4. Quin tu animo bono es?
Curc. I 3, 27. Quin tu is dormitum?
Pers. IV 4, 122. Quin tu is intro?
Pseud. I 3, 116. Quin tu ted occidis potius?

Idem *quin* in exsecrationibus:

Cas. III 4, 9. Quin tu suspendis te?
Curc. V 2, 13. Quin tu is in malam crucem?
Men. V 5, 14. Quin tu is in malam crucem?
Rud. II 6, 34. Quin tu is a me in maxumam malam crucem?
Men. V 5, 14. Quin tu te suspendis?

Cum prima verbi persona singularis et pluralis *qui* coniunctum est adhortative:

Merc. V 2, 68. Sed quin ornatum hunc reicio?
Merc. II 3, 49. Quin ego aggredior de illa? Quin ego hinc me amolior?
Merc. II 4, 123. Quin ad navim iam hinc eo?
Asin. II 2, 25. Quin ego hanc iubeo tacere, quae loquens lacerat diem?
Aul. V 1, 8. Quin ego illi me invenisse dico hanc praedam atque eloquor?
Pers. V 1, 13. Sed, amabo, oculus meus, quin lectis actutum commendamus?
Poen. III 4, 34. Quin, si voles || Operire capita, ne nos leno noverit? (sc. volumus).
Phor. III 6, 5. Quin, cum opus est, beneficium rursum ei experimur reddere?
Phor. II 1, 32. Quin abeo?

Etiam imperativus ipse exstat:

Aul. IV 2, 12. Quid ego ponam? Quin tu eloquere, quidquid est!
Epid. II 2, 54. Quin tu, ut occepisti, eloquere!
Bacch. II 3, 42. Quin audi!
Most. III 1, 51. Quin vos mihi foenus date!
Men. II 3, 68. Quin tu tace modo!
Cas. III 6, 40. Quin tu i modo mecum!
Epid. II 2, 91. Quin tu eloquere: quid faciemus?
Most. III 2, 170. Quin tu illam adspice, ut placide accubat!
Most. III 1, 39. Quin, quid vis, cedo!
Most. II 2, 38. Obscoro, hercle, quin eloquere iam!
And. I 1, 18. Quin tu uno verbo dic, quid est, quod me velis!
And. II 2, 9. Quin tu hoc audi!

And. II 6, 18.	Quin dic, quid est!
Poen. III 1, 8.	Quin, si ituri hodie estis, ite aut ite in malam crucem!
Pseud. IV 7, 48.	Quin tu mecum fabulare!
Pseud. IV 7, 89.	Quin tu mulierem mi emittis aut redde argentum!
Merc. V 2, 97.	Quin sequere, ut illam videas, quam expetis!
Merc. V 2, 115.	Quin tu ergo i modo!
Merc. V 4, 42.	Quin loris caedite etiam, si lubet!
Most. I 3, 16.	Quin me adspice et contempla!
Most. I 3, 60.	Quin mone, quaeso, si quid erro!
Curc. II 1, 26.	Quin tu aliquot dies ‖ Perdura!
Most. IV 1, 40.	Quin et illum in ius iube ire!
Pers. V 2, 12.	Quin iube abire!
Pers. V 2, 25.	Quin lude, ut soles!
Poen. III 4, 10.	Quin sequere me ergo!
Mil. IV 1, 27.	Quin tu illam iube abs te abire, quo lubet!
Rud. IV 4, 126.	Quin tu i directa cum situla et cum poculis!

Coniunctivus adhortativus appositus est:

Merc. I 2, 73.	Quin tu alium quaeras, quoi centones facias!
Poen. V 4, 93.	Quin eloquamur!
Bacch. IV 8, 26.	Ne ille edepol Ephesi multo mavellem foret, Dum salvos esset, quam revenisset domum! Quin ego, istic quod perdundum'st, properem perdere! Binos ducentos Philippos iam intus efferam!

(Nicobolum miseret filii aere alieno obruti, cum novas litteras, quibus pecunia petitur, accepisset. BCD *Quid ego istic q. e. p. p. p.* Vulgo: *Quin ergo istic q. p. e. p. p.* Bothe: *quid ego istic? q. p. p. p.*, addens *quid istic?* formulam esse aegre concedentis. Fleckeis. *quid istic? q. e. p. p. p.* provoeans ad Trin. II 4, 172; Poen. V 4, 58; Adel. III 2, 52; Rud. V 2, 44). Inest in verbis illis consilium post silentium vel dubitationem initum, cuius vis *quin* coniunctione sequente coniunctivo adhortativo exprimitur. *Istic* intellegendum est *in ea re, causa.* germ.: So will ich denn, was ich dabei verlieren muss, in Eile verlieren!

Negari non potest hoc usu *quin* primaria notione amissa in asseverantem particulam vertisse. Quo semel facto et probato, *quin* cum qualibet verbi persona coniungitur, ut eis, quae dicuntur, firmitas quaedam imponatur. Praeterea autem tenendum est, qualis totius enuntiati cum antecedentibus ratio sit. Namque aut confirmatur solum sententia, aut levi intentione quaedam opponuntur vel, quae praecedunt corriguntur, aut agnoscuntur augenturque. Itaque non possum facere cum Haasio (Reisigii schol. lat. p. 576), qui dicit per breviloquentiam *quin* pro *quin etiam* poni, ut sic intellegendum sit: quomodo levius aliquid non sit, cum etiam aliud gravius sequens fiat. Nullo censet momento esse, si gravius illud contrarium sit. At illa definitione non totus hic usus continetur neque probare possum contrarium idem quod gravius valere. Ut afferam exempla:

Trin. V 2, 24.	Postquam Callicles consilium suum exposuit: *Charm.* Scite edepol. *Call.* Megaronides communis hoc meus et tuos Benevolus commentust. *Charm.* Quin collaudo consilium et probo (ja, ich lobe den Plan und billige ihn).
Haut. III 7, 23.	Quid dicam? quam causam afferam? Quin nolo mentiare, Aperte, ita ut res sese habeat, narra (ich will die reine Wahrheit, erzähle u. s. w.).
Eun. II 1, 6.	Ne istuc tam iniquo patiare animo. Minime, quin Effectum dabo (Keineswegs, ich werde schon dafür sorgen).
Merc. V 4, 7.	Animum advortite igitur ambo! Quin tibi ambo operam damus! (Gut, wir hören beide.)
Epid. II 3, 3.	Nullum esse opinor ego agrum in agro Attico Aeque feracem, quam hic est noster Periphanes, Quin ex occluso atque obsignato armario Decutio argenti tantum, quantum mihi lubet (ich schüttele wahrlich u. s. w.).

cf. Capt. V 3, 13. Cist. II 1, 42 (quin ego commentor-quidem, ich habe meinen Kopf jetzt voll). Asin. V 2, 80.

Oppositio inest vel correctio:

Pseud. I 5, 136. Da in hunc diem operam, Callipho, quaeso mihi,
Ne quo te ad aliud occupes negotium.
Call. Quin rus ut irem iam heri constitueram (ich hatte freilich schon gestern u. s. w.).

Bacch. II 3, 78. Nae ille hercle mihi sit multo carior,
Si med illoc auro tanto circumduxerit.
Chr. Quin ipsa in aede Dianai conditum est aber es ist ja ein Tempel u. s. w.).

Merc. II 2, 50. Humanum amare est, humanum autem ignoscere est,
Ne sis me obiurga, hoc non voluntas me impulit.
Ly. Quin non obiurgo (ich mache dir ja gar keine Vorwürfe).

Merc. I 2, 32. Hominem ego iracundiorem quam te novi neminem.
At ego pol maledicentiorem quam te novi neminem.
Quin saluti quod tibi esse censeo, id consuadeo (alii *Sin.).*

cf. Capt. III 4, 110; Cas. II 4, 7; Aul. IV 4, 23; Most. I 3, 143; Poen. III 3, 59; Men. V 4, 4; Merc. I 2, 47.

Augetur praecedens sententia:

Most. II 2, 25. Eho, an tu tetigisti has aedes? — Cur non tangerem?
Quin pultando, inquam, paene confregi fores.

Bacch. V 2, 21. Non vides ut palantes
Grassentur? quin aetate credo esse mutuas,

Mil. II 6, 41. Licetne? Quin te iubeo, placide noscita.

Mil. III 1, 115. Eos pro liberis habeo. Quin mihi mittunt munera

Mil. IV 2, 88. Et pueri annos octingentos vivont. Vae tibi nugator!

Quin mille annorum perpetuo vivont ab seclo ad seclum.

adde: Mil. III 3, 9; Asin. I 3, 84; Aul. II 4, 30; III 6, 27; IV 10, 32; Bacch. III 3, 61; Most. V 1, 36; Pers. I 1, 42; Poen. I 1, 22.

Simili intendendi et opponendi ratione *quin* in vehementiore altercatione usurpatum est Cas. III 4, 12.

St. Ergo arcessivisse ait sese et dixisse te
Eam non missuram. *Al.* Omnia ipsa ultro mihi
Negavit eius operam se morarier.
St. Quin ea ipsa me allegavit, qui istam arcesserem.
Al. Quin nihili facio. *St.* Quin perdis. *Al.* Quin bene est,
Quin etiam diu morabor, quin cupio tibi,
Quin aliquid aegre facere; quin faciam lubens.
Numquam tibi hodie Quin erit plus quam mihi.
Quin hercle di te perdant postremo quidem.

Summa animi agitatione haec verba dicta sunt, et tam saepe *quin* arripitur, ut risus fiat, altercatio hoc ipso usu augeatur et quo magis quis *quin* adhibuerit, eo certius se superiorem cessurum putet.

cf. Amph. I 1, 217.

At mentiris etiam: certo pedibus, non tunicis venis.
Sos. Ita profecto! *Me.* Nunc profecto vapulo ob mendacium.
Sos. Non edepol volo profecto. *Me.* At pol profecto ingratiis.
Hoc quidem profecto certum est. Non est arbitrarium.

Quid iam in aliis enuntiatis, ubi *quin* e verbo aut tota sententia pendet? Qua in quaestione in universum Haasium (in libri supra citati adn. 492) sequor, qui praecipua ingenii acie rationem usus *quin* particulae patefecit, pauca tamen, quae aliter explicanda mihi videntur, intellexit. Ambigitur enim, utrum secundarii enuntiati cum primario ratio relativa sit an interrogativa. Atque si dicitur *nulla causa est, quid causae est, quin,* ut in exemplo antea allato: *inventa causa, qui te surperent* interrogativam particulam *qui* esse edocui, ita in hoc exemplorum genere *quin* interrogativum duco. Eiusmodi sententiae nihil differunta *nescio, non habeo, ignoro* locutionibus, et substantivum *causa* non maioris momenti est, quam *nihil, aliquid* unde quaestiones

saepissime annecti constat. Haec licentia conectendi Romanis concedenda est, qualem videmus etiam in v. Amph. II 2, 229.

Nimis ecastor facinus mirum est, qui illi collibitum siet
Meo viro, sic me insimulare falsum facinus tam malum.

cf. Mil. II 5, 8; II 4, 24; est causa, qua causa. Epid. I 1, 39.

Idem in genus referam: facere non possum, fieri non potest, quin, ubi *facere* et *fieri* verba abundant, ut etiam interdum desunt, cum infinitivi ex *posse* verbo desumpti sint, qui quid velint proprie, insequenti demum enuntiato explicatur. Sensum igitur interpono talem. Ich finde keinen Grund, es giebt keinen Grund, warum nicht. Tum omisit Haasius: *mirum quin,* cuius vim ut recte percipiamus, exemplo utamur:

Amph. II 2, 118. *Am.* Egone istuc dixi? *Al.* Tute istic, etiam adstante hoc Sosia.
Am. Audistin tu me narrare hoc hodie? *So.* Ubi ego audiverim!
Am. Hanc roga. *So.* Me quidem praesente nunquam factumst, quod sciam.
Al. Mirum quin te adversus dicat!

Verbotenus vertendum est: ein Wunder, warum er nicht gegen dich spricht. (cf. mirum qui.) Necessario autem illud *mirum* per ironiam dictum est, cum censeat Alcumena non esse mirum Sosiam adversus Amphitruonem non dicere, quippe qui servus Amphitruonis sit. Vultus et gestus addendi sunt, ut sensus recte exprimatur.

cf. Aul. I 3, 7. Mirum quin tua me causa faciat Iuppiter
Philippum regem aut Darium, trivenefica.

Pers. III 1, 11. Quamquam libenter escis alienis studes
Tuine ventris causa filiam vendis tuam?
Sat. Mirum quin regis Philippi causa aut Attali
Te potius vendam, quam mea, quae sis mea.

Pers. III 3, 29. *Dord.* Mirum quin tibi ego crederem: ut idem mihi
Faceres, quod partim faciunt argentarii.
Tox. Fortasse metuis in manu concredere?
Dord. Mirum quin (das fehlte auch noch)!

adde: Trin. IV 2, 125; Rud. V 3, 37; Aul. I 3, 19; Most. II 2, 62; Cist. IV 2, 68; Merc. I 2, 94. Quid autem de complexionibus his: non impedio quin, non patior quin, non deterreor quin, non durare possum quin, vix reprimor quin, non dubito quin, non commodi est, quin, nullus est quin, non accedo quin, similibus, unde forsitan quis interrogativum *quin* eruat, ego quovis pignore statuere non audeo? Relativam eis *quin* particulam vindico, quae aut ex *quin* interrogativo desumpta aut e relativa *qui* particula et *ne* suffixo composita est. Nulla igitur causa est, cur ea, quae antea de *qui* ablativo antiquo posui, revocanda esse credam.

Vita.

Oscarus Alexander Albertus Wichmannus natus sum anni millesimi octingentesimi quinquagesimi primi a. d. IV Kal. Sext., Marchicus, fidei evangelicae addictus, Carolo patre, Carolina matre, quibus adhuc Beescowiae in urbe vivis ex animi sententia laetor. Puerili doctrina in schola Beescowiensi institutus, quartum et decimum annum agens Gubeniense gymnasium adii. Ubi unum modo annum moratus, Ioachimici gymnasii Berolinensis alumnis adscriptus sum et per quinquennium disciplina et litteris mores ingeniumque excolui. Magistris autem meis cum universis tum Kiesslingio, viro illustri, rectori, qui tum fuit, de schola Joachimica optime merito sincero animo gratias ago. Deinde universitatem regiam Berolinensem, ut philologicae disciplinae studerem, per septem semestres frequentavi et scholas audivi Mommseni, Curtii, Droyseni, Kirchhoffii, Hauptii vita nunc defuncti, Huebneri, Harmsii, Zelleri, Nitzschii, Schoellii, Kieperti, quibus omnibus me permulta debere memor gratusque profiteor. Idem ego gratias ago maximas summo universitatis regiae Vratislaviensis ordini philosophico, qui ad amplissimum doctoris gradum me promoverit.

Theses.

1. Ciceronis orationem, qua L. Catilinam urbe cedere iussit, in senatu habitam esse a. d. VII Id. Nov.
2. Andriae Terentianae, qui exstat, prologum, cum primum fabula acta sit, recitatum esse.
3. Ab Aristotele libros politicos non, ut in publicum prodire possent, artificiose compositos esse, sed ad scholarum suarum usum perscriptos.
4. A Xenophonte librum *Πόροι ἢ Περὶ προσόδων* inscriptum non recte abiudicari.